


DE HERCVLE ATTICO.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QVAM

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE
IN ACADEMIA FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

ET VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS

DIE VII MENSIS AVGVSTI MDCCCLXIX HORA XII


PVBLICE DEFENDET

HERMANNVS DETTMER,
LVBECENSIS.

ADVERSARIORVM PARTES SVSCIPIENT:

VICTOR GARDTHAVSEN
LVDOVICVS A SYBEL
IVLIVS STEVP
} A. A. L. L. M. M. DD. PHIL.

BONNAE
FORMIS CAROLI GEORGI.
1869


HARVARD COLLEGE
JUN 25 1889
LIBRARY.

PATRI CARISSIMO.

J. H. Wheeler. Oct. 1878

2 gr.

Diodor. IV, 8, 1. *οὐκ ἀγνοῶ ὅτι πολλὰ δύςχρηστα συμβαίνει τοῖς ἱστοροῦσι τὰς παλαιὰς μυθολογίας καὶ μάλιστα τὰς περὶ Ἡρακλέους.*

Cultum Herculi in Attica habitum, postquam Meursius Corsinus alii locos ueterum in unum conlegerunt, primus Carolus Odofredus Mueller. in libro quem de Doribus scripsit, cum accuratius fabulas de Hercule Dorico hic illic Graeciae sparsas discerneret et examinaret (I, 415—461), ex consilio et instituto operis breuissime quidem tractavit (p. 441. 2), ita tamen, ut rationem huius cultus rectius indicaret, quam ante eum factum erat. Qui post Muellerum hac de re egerunt, Preller. (Gr. Mythol. II^2 p. 259) Welcker. (G. G. II, p. 785) Schoemann. (Gr. Alterth. II^2 510 sq.) re aliter perfungi non potuerunt, cum sibi proposuerint, uniuersas Graecorum aut religiones, aut antiquitates in usum libros obiter adeuntium breuibus inlustrare. Itaque cum adhuc nemo data opera ad hanc Herculis uenerationem memoratu dignissimam aggressus sit, haud inutile fore putaui paullo accuratius in hunc cultum inquirere conlectis testimoniis ueterum, quae quidem nobis de ea re seruata sint. quam quaestionem ita instituam, ut primum quibus Atticae locis Hercules cultus fuerit recenseam, deinde eas fabulas, quae in Attica ipsa fictae de eo circumferebantur, enarrem, tum paucis, quid in hac ueneratione singulare infuisse uideatur, ostendere studeam.

Ac primum quidem sacra Herculis in urbe ipsa specte-

mus. Refert Pausanias, in Academia aras esse Promethei Musarum Mercurii Mineruae Herculis (I, 30, 2) his uerbis: *ἔστι δὲ Μουσῶν τε βωμὸς καὶ ἕτερος Ἑρμοῦ καὶ ἔνδον Ἀθηνᾶς, τὸν δὲ Ἡρακλέους ἐποίησαν.* Si haec uerba, quae, si sana sunt, non satis bene cohaerent, premimus, cogitandum nobis est, aram Herculis prope Mineruae templum media in palaestrae parte sitam fuisse. Sed aliis locis, ubi dei in Academia culti enumerantur, Hercules non nominatur, id quod uix factum fuisset, si proxime a Minerua sedem habuisset. Accedit quod Pausanias Volcani templum et aram Amoris (Ath. XIII. 561 D. 609 E) silentio praetermittit, neque eum omnino locum accurate descripsisse docet Apollodorus, quem secutus schol. ad Soph. Oed. Col. 56. ostendit, tria in Academiae palaestra templa fuisse Mineruae Volcani Promethei; in media antem parte templum deae fuit, propter quam heros istius loci Academus cultus est. Itaque Petersen. (Das Gymnasium der Griechen p. 45 n. 18) recte statuere uidetur, una cum reliquis deis, qui hic colebantur, Herculem in exedris aras habuisse. Artiorem quandam Herculi in Academia cum Minerua intercessisse necessitudinem ostenderet anaglyphum, dummodo restitutio inscriptionis mutilatae in hac imagine pro certa habenda esset (cf. Ephem. Arch. n. 298. Curtius, Arch. Ztg. III. 1854 p. 130). Repraesentatur a dextra parte Hercules pelle leonina indutus et clauam tenens superadscripto nomine, Mineruae, quae in medio est clypeo et hasta armata[1]), nomine insuper significata, coronam imponens. A sinistra parte sedet homo, cuius nihil restat nisi capitis pars, pectus laeuum et bracchium sellae innixum; nominis superadscripti manserunt tantum literae *ΗΜΟΣ*, quas Stephani suppleri uoluit *δῆμος*, Meineke *Ἀκάδημος*, cum literae complures desiderari uideantur.

---

1) Keil Phil. XXIII. p. 239 Mineruam putat uittam uictricem manu tenere, id quod secundum imaginem secus uidetur.

Tum igitur Hercules deae Mineruae, quae in Academia primo loco colitur, corona imposita honorem officiumque praestaret, sed quid faciemus Academo? Ac Curtius l. d. p. 130 putat, Academum nihil nisi locum indicare et inde neglegentem eius habitum intellegi. Sed hoc mirum est [1]). Keilius Muelleri coniecturam comprobat, qui supplendum esse proposuerat Ζεὺς Πάνδημος (Phil. XXIII. p. 238). Sed tale Iovis cognomen tantum in numis aliquot Synnadensibus (Eckhel. Doctr. num. III, 173) inuenitur; praeterea nimis multae literae suppletae sunt. Quae cum ita sint, hoc anaglyphum ad hanc rem inlustrandam ualere non potest.

Porro Melitae in pago urbano celeberrimum fuisse templum Herculis discimus ex schol. Ar. Ran. 501, quod cum in Rauennate et Veneto exstet, ad probos auctores redire uidetur. Inde ea quae huc faciant, adscribam: ἐν Μελίτῃ ἐστὶν ἐπιφανέστατον ἱερὸν Ἡρακλέους ἀλεξικάκου, τὸ δὲ τοῦ Ἡρακλέους ἄγαλμα ἔργον Γελάδου τοῦ Ἀργείου τοῦ διδασκάλου Φειδίου· ἡ δὲ ἵδρυσις ἐγένετο κατὰ τὸν μέγαν λοιμὸν, ὅθεν καὶ ἐπαύσατο ἡ νόσος πολλῶν ἀνθρώπων ἀπολλυμένων. Herculis statuam Melitensem ab Agelada confectam notat etiam Tzetzes chil. VIII. 192.

Γελάδου τοῦ Ἀργείου μὲν ἦν μαθητὴς Φειδίας
Τοῦ ἐν Μελίτῃ Ἀττικῆς πλάσαντος Ἡρακλέα.

At in his temporis ratio non stat. Pestis enim, quam eandem esse ac quam Thucydides descripsit II, 49—53, recte monuit Hemsterhusius ad Ar. Plut. schol. u. 179, ad Ol. 87 referenda est, Ageladas autem, cuius primum opus ad Ol. 65 pertinet, praestantissima uero inter Ol. 70 et 80 confecta sunt, certe Ol. 60 natus fuisse censendus est; Herculis autem statua remota ultimum opus Ol. 81 confecit, fere nonaginta annos natus. Quocirca uerisimile fit, scholiastam errasse, si demum post finem pestilentiae statuam dedicatam esse putat. Cum autem certum sit Melitae fuisse

1) Hoc improbauit etiam Friederichs, Baust. z. Gesch. d. gr. röm. Pl. p. 221 n.

statuam Herculis auerrunci, ab Agelada confectam, non eo tempore, quo scholiasta putat, dedicata est. Aut igitur sumendum est, statuam, antea ab artifice fortasse alio quodam consilio factam, postea post pestem exactam Meliten esse translatam, aut statuendum, iam ante pestem eam ad hoc templum pertinuisse. Hanc uiam ingressi sunt Welcker (Kunstblatt 1827 p. 323 sq.) et Müller (de Phidia § 7), hanc dedicationis fabulam artium interpretibus deberi rati, qui tum inscitia rerum, tum studio patriae gloriam augendi falsa ueris intermiscuerint. Hos secutus est Brunn. (Gesch. der griech. K. I, p. 67), cui in eo adsentior, quod Herculis cognomen auerrunci [1]) multo antiquius [2]) Athenis putat neque pestis demum tempore ortum. Improbo autem opinionem Brunnii Herculis auxilium in illa Atheniensium inopia locum omnino non habuisse; narrare enim Thucydidem (II, 47; 53) oracula quae implorata fuerint omnia uana et inrita sese praebuisse, qua de re ultimo tempore Athenienses res diuinas nihil curasse. Sed mihi hoc tenendum esse uidetur, Thucydidem tantum de eis piaculis uerba facere, quae inter pestis progressum temptata sunt, et omnino de fine istius morbi nihil referre. Itaque inde conligere non licet, Athenienses morbum desinentem non maximo gaudio et, cum homines religiosissimi essent, gratis erga deos animis

---

1) Ex hac Herculis natura malum auertendi etiam exclamatio *Ἡράκλεις* explicatur. cf. Hes. u. *Ἡράκλεις· ἐκάλουν τὸν Ἡρακλέα εἰς βοήθειαν [λίθον] γενομένης βίας.* Aristides Or. in Hercul. I, 59 Ddf. *ἔτι καὶ νῦν παντὸς ὡς εἰπεῖν ὦ Ἡράκλεις βοῶντος »ἐπὶ ἅπαντι τῷ χρείας ἱσταμένῳ.«*

2) Antiquissimum hoc Herculi fuisse nomen, de quo cf. Müller Dor. I. 475 n. 2, apparet ex fabula Hellanici (fr. 138 M. FHG I p. 64), in qua Telamonem narrat priorem Hercule Troiam captam ingressum iram illius mouisse et ut se ab illo tutaretur coaceruantem lapides, cum Hercules ex eo quaereret, quo id consilio faceret, aram se exstruere respondisse Herculi auerrunco. Eadem fabula apud Apollodorum (II, 6, 4) seruatur hoc tamen discrimine, ut eo loco Hercules *καλλίνικος* appelletur.

accepisse; narrat praeterea Diodorus XII, 58 cum pestis Ol. 88, 3 rursus oborta esset, oraculi iussu eos Delum insulam lustrasse et Deliacam panegyrin instaurasse, dicit autem: *οἱ Ἀθηναῖοι διὰ τὴν ὑπερβολὴν τῆς νόσου τὰς αἰτίας τῆς συμφορᾶς ἐπὶ τὸ θεῖον ἀνέπεμπον.* Itaque perbene statui potest, Herculem auerruncum Melitensem ex opinione multorum Atheniensium pestem illam auertisse pro alacri suo omnes adiuuandi ingenio. Sed Apollo quoque Athenis auerruncus colebatur [1]). Etiam hic deus nomen accepisse dicebatur ex auxilio contra pestem Atheniensibus lato, et statuam a Calamide confectam [2]). Iam mihi omnia aperta uidentur. Calamis post pestem finitam Apollinis auerrunci statuam confecit; Hercules, qui una cum Apolline fortissime pestem depulisse perhibebatur, statuam habuit auerruncus iam antea factam ab Agelada. Quid igitur facilius erat, quam ambos deos inter se coniungere, ita ut utrique propter strenuam in peste auertenda opem statuae dedicatae esse dicerentur? Fortasse iam in scholio uera sententia de statua iam ante pestem confecta, licet obscure, latet, in quo haec legimus: *πῶς δὲ καὶ παλαιότερον εἶναι Ἀριστοφάνους τὸ ἄγαλμα, εἰ ἀκμάζοντος τοῦ λοιμοῦ ἱδρύθη; σχεδὸν γὰρ μειρακίσκος ἤδη ἥπτετο τῶν ἀγώνων.* Aperte haec uerba contra interpretationem alius hominis docti, quem refellere studet scholiasta, directa sunt. Iste fortasse recte dixerat, antiquius esse simulacrum, id quod scholiasta ex communi de dedicationis tempore errore impugnat. Iam si quaerimus, quanam occasione Ageladas inductus fuerit, ut Herculis statuam faceret, haud male Wachsmuthii sententiam in nostrum usum conuertere possumus. Qui, cum

1) cf. Schol. Ar. Pac. 422 *καὶ γὰρ Ἀπόλλωνα καὶ Ἡρακλέα ἀλεξικάκους τιμῶσι.*

2) cf. Paus. I, 3, 4 *πρὸ δὲ τοῦ νεὼ τὸν μὲν Λεωχάρης, ὃν δὲ καλοῦσιν ἀλεξίκακον Κάλαμις ἐποίησε, τὸ δὲ ὄνομα τῷ θεῷ γενέσθαι λέγουσιν, ὅτι τὴν λοιμώδη σφίσι νόσον ὁμοῦ τῷ Πελοποννησίων πολέμῳ πιέζουσαν κατὰ μάντευμα ἔπαυσεν ἐκ Δελφῶν.*

nouissime (Rh. M. XXIV. H. I, pag. 45) Curtii chartas Athenarum examinaret, coniecit, Herculis templum Melitense a Persis esse combustum. Hoc si tenemus, simul uetus simulacrum interiisse putandum est, in cuius locum Ageladas post belli finem statuam substituit.

Iam nobis locus Aristophanis Ranarum accuratius inspiciendus est. Postquam Xanthias Herculis uestitum induit, Bacchus autem istius serui habitum, hic illum *Ἡρακλειοξανθίαν* intuens exclamat u. 501.

μα' Δι' ἀλλ' ἀληθῶς οὐκ Μελίτης μαστιγίας.

Quid in ultimis uerbis lateat, in propatulo non est. In scholio diuersa mixta sunt, primum hoc modo locus explicatur: *ἀντὶ τοῦ ὁ ἐκ Μελίτης Ἡρακλῆς. ἐν γὰρ Μελίτῃ δήμῳ τῆς Ἀττικῆς ἐμυήθη Ἡρακλῆς τὰ μικρὰ μυστήρια· ἔστι δὲ ἐκεῖ καὶ ἱερὸν Ἡρακλέους. ἐκλήθη δὲ ἀπὸ Μελίτης νύμφης, ᾗ ἐμίγη ὁ Ἡρακλῆς. μαστιγίαν δὲ ὡς πρὸς δοῦλον.* Huic aduersatur scholiastes multo acrius rem inuestigans. *παρὰ ὑπόνοιαν σκώπτει* h. e. praeter exspectationem inludit cuidam, omnes enim exspectant: Reuera reddis celeberrimum Herculem Melitensem sed dei loco nominat Melitensem nebulonem. Sequitur uerba [1]), quae paullo ante exscripsi, optima pars scholii: *Ἀπολλώνιος δὲ οὐ κακῶς ὑπονενοῆσθαί φησι τὸ κωμῳδεῖσθαί τινα, ἴσως δὲ ὅτι ἦρχε, διὰ τοῦτο οὐκ ὠνομάσθη ἢ ὀλίγον πρότερον εἰρῆσθαι. Καλλίας γὰρ ὁ Ἱππονίκου ἐν Μελίτῃ ᾤκει· παρεικάζει δὲ αὐτὸν ἅμα τῷ Ἡρακλεῖ, ἅμα χλευάζων διὰ τὸ λεοντῇ ἐν ταῖς μάχαις χρῆσθαι, ὡς ἐν τοῖς ὀπίσω* (*ἔμπροσθεν*? u. 429) »*κύσθον λεοντῇ ναυμαχεῖν ἐνημμένον.*« *ἐπεὶ εἴ γε ὄντως ἐπὶ τὸν Ἡρακλέα ἀνέφερε, τί μᾶλλον εἶπε τὸ ἐκ Μελίτης καὶ μὴ*

---

1) Ibi omisi uerba: *ὁ δὲ Ξανθίας ἀντιμετείληφε τὴν τοῦ Ἡρακλέους σκευήν.* Inde et ex priore scholii parte glossa Hesychii orta uidetur s. u. *Ἐκ Μελίτης μαστιγίας. Ἀριστοφάνης ἐν Βατράχοις ὑπήλλαξεν ἀντὶ τοῦ φάναι ἐκ Μελίτης Ἡρακλῆς· μετημφίεσται γὰρ τὴν Ἡράκλειον στολήν. Καλεῖται δὲ ἐν Μελίτῃ Ἡρακλῆς ἀλεξίκακος.*

ἐξ ἄλλου δήμου; πανταχοῦ γὰρ Ἡράκλεια ἐπιφανῆ. σύνηθές τε οὐχ οὕτω λέγειν ἐπὶ θεῶν οὐκ Μελίτης ἀλλ' ὁ ἐν Μελίτῃ ὡς καὶ Ζεὺς ὁ ἐν Ὀλυμπίᾳ· ἐπὶ δὲ ἀνθρώπων ἐκ Μελίτης, ἐξ Οἴου, ἐκ Κοθωκιδῶν. Haec prorsus recte obseruata sunt,[1]) itaque optime puto ad Calliam hoc referri posse, qui antea iam exagitatus hoc loco nominaretur necesse non erat. Non autem Kockio crediderim, obscuri aliquid in hoc uersu latere, quocum Hesychii[2]) glossam cohaerere putat, s. u. Μελιτέων οἶκος, ἐν τῷ τῶν Μελιτέων δήμῳ οἶκός τις ἦν παμμεγέθης, εἰς ὃν τραγῳδοὶ φοιτῶντες ἐμελέτων.[3]) Sed etiamsi repraesentare nobis possumus, in hac artificum scaenicorum domo homines fortasse nimis licentem uitam egisse, tamen haec allusio satis esset obscura.

Zenobio (V, 22) debemus notitiam ex Apollodori libris περὶ θεῶν haustam de sacrificio, quod Melitenses Herculi offerre solebant: Ἀπολλόδωρος ἐν τοῖς περὶ θεῶν, ὅτι θύεται Ἀθήνησιν Ἡρακλεῖ ἀλεξικάκῳ ἰδιάζουσά τις θυσία. τοῦ [4]) γὰρ βοὸς ποτε ἐκφυγόντος ὃν ἔμελλον τῷ Ἡρακλεῖ προςάξειν μῆλον λαβόντας καὶ κλάδους ὑποθέντας τεσσάρας μὲν ἀντὶ σκελῶν, δύο δὲ ἀντὶ κεράτων σχηματίσαι τὸν βοῦν καὶ οὕτω τὴν θυσίαν ποιήσασθαι. Hesychius s. u. Μήλων eadem tradit, disertis uerbis Melitenses nominans: ὀνομασθῆναί φησι τὸν θεὸν οὕτως διὰ τὸ μὴ ἱερεῖα θύειν αὐτῷ τοὺς Μελιτεῖς ἀλλὰ τὸν καρπὸν τὰ μῆλα· neque est difficile intellectu, quo consilio hanc mutationem instituerint Melitenses, scilicet ut sumptus minores redderent. Inde Hercules cognomen Μήλων

---

1) cf. Suidas s. u. ἐν Κλάρῳ, Valcken. Diatr. Eur. p. 292. Leutsch. Phil. S. B I p. 140 n. 325.

2) Zenobii II, 27 uerba corrupta Dindorf (Aristoph. fragm. p. 196 Teubn.) sic refingit: Μελιτέων οἶκος· ἐπὶ τῶν ἴδιον οἶκον μὴ κεκτημένων, ἀλλ' ἐπὶ μισθῷ οἰκούντων· μέμνηται αὐτῆς Ἀριστοφάνης ἐν Γεωργοῖς καὶ Πλάτων κωμικός. (fr. 206.)

3) Eadem habet Photius exceptis uerbis τ. M.

4) Haec uerba usque ad τέσσαρας habet Suidas s. u. μήλειος Ἡρακλῆς.

accepit uel *Μήλειος*, quod Suidas explicat, *ἐπὶ τῶν εὐτελῶν* dictum esse prouerbii instar [1]). Aliud exstitit prouerbium *Ἡρακλέους θυσία*, quod Hesychius s. u. ita interpretatur: *παροιμία ἐπὶ τῶν εἰκῇ ταῖς θυσίαις χρωμένων* (cf. *εἰκῇ τῷ Ἡρακλεῖ*). Postea sacerdotes ficta fabula hunc morem interpretabantur, qui in usum transierit, cum semel loco bouis fugitiui qui ad sacrificandum destinatus fuerit, ne Herculi honores qui ei solui debuerint subtraherentur succedaneum boui malum mactatum sit. Omnino enim deo sacrificia subtrahere ausi non sunt propter religionem. Eadem ratione de hoc usu iudicat Welcker G. G. II 787 n. 131, nisi quod glossam Hesychii *Μάλικα* [2]), *τὸν Ἡρακλῆ Ἀμαθούσιον* ad eundem hunc Herculem *Μήλων* refert, in quo ab eo dissentio. Non enim de illo Hercule *Μάλιξ* idem traditur quod de Hercule *Μήλων*. Hercules autem Amathusius non est, cur non Phoenicio deo hoc cognomine aequiparari potuerit. Dissentio autem a Wachsmuthio, qui ex hoc sacrificio Herculisque cognomine *Μήλων* Curtii sententiam, Phoenices quondam Melitae in pago consedisse, putat comprobari (Rh. M. XXIV p. 45 n. 13). Obstat ei, quod Pollux (On. I, 1, 30) [3]) eundem Herculi sacrificandi morem de Boeotia testatur. Asopum enim tantopere imbribus auctum fuisse, ut ei qui arietem ad sacrificium adducerent flumen superare non possent; tum pueros, qui rei sacrae interessent, ludendo prorsus similiter malo loco arietis usos fuisse; tum pergit Pollux: *ἡσθῆναί τε λέγεται τῇ θυσίᾳ τὸν Ἡρακλέα καὶ μέχρι τοῦδε πα-*

---

1) cf. Append. Paroem. Gott. III, 93, ubi idem legitur, additis uerbis: *ἦν γὰρ ἄγαλμα Ἡρακλέους ᾧ μόνα μῆλα καρποὺς ἔθυον.*

2) Welcker haec ait: *welcher Malix mit Melon eins und nicht Melech ist.*

3) Prorsus non intellego, qui Boehneke Forschungen auf d. Geb. d. attischen Redner I, p. 682 scribere potuerit: *in Herakles-spielen wurden ebenfalls Aepfel als Preis vertheilt. Pollux I, 1, 30, Hes. u. Μῆλον* (l. *Μήλων*), quibus locis de hac re ne minimum quidem dictum est.

ραμένειν τῆς ἱερουργίας τὸν νόμον καὶ καλεῖται παρὰ τοῖς Θηβαίοις ἢ τοῖς Βοιωτοῖς Μήλων ὁ Ἡρακλῆς ὄνομα ἐκ τῆς θυσίας λαβών. Neque alioquin hunc modum sacrificii sumptus minuendi inauditum fuisse docet Seruius ad Verg. Aen. II, 112: sciendum est, in sacris simulata pro ueris accipi, unde cum de animalibus quae difficile inueniuntur est sacrificandum de pane uel cera fiunt et pro ueris accipiuntur. Hinc etiam illud (A. IV, 512). »Sparserat et latices simulatos fontis Auerni.« Nam et in templo Isidis aqua sparsa de Nilo esse dicebatur. Cf. idem ad V. A. II, 140 ad u. effugia.

Ad hunc Herculem Melitensem referenda uidetur inscriptio (Rang. ant. hell. II. n. 786 p. 406 s.), qua Molone archonte (Ol. 104, 3 = 362) coloni Attici Potidaeam missi promittunt, se Athenis sacrificaturos esse et duodecim dis et Herculi, si Athenienses sibi quae optarent dedissent; hoc enim optime auerrunco conueniebat neque erat in urbe aliud templum Herculis, ubi sacrificari posset.

Porro Athenis aedicula erat sacra Herculi Indici [1]), quae tamen eodem modo quo templum Melitense a Pausania silentio praetermittitur, dedicata illa ut perhibebant a Sophocle hanc ob causam. Aurea enim corona ex arce clam subducta Sophocles, cui in somnis [2]) Hercules eum qui furatus esset eam indicauerat, auctore sceleris ad iudices delato, talentum meruit praemium rei indicandae statutum, unde Herculi sacrum [3]) dedicauit. Sic tradit uita Sophoclis (cf.

---

1) Hes. s. u. *Μηνυτής, Ἡρακλῆς ἐν Ἀθήναις.*

2) Haud raro Hercules ita somniantibus apparuisse dicitur. cf. loci quos Keil (Inscr. Boeot. p. 100) conlegit, ut titulum inlustraret *Ἡρακλεῖ κατ' ὄνειρον.*

3) Ross, Das Theseion u. d. Tempel des Ares p. 20. n. 60 dubitanter proposuit, hoc Herculis Indicis fanum fortasse non diuersum fuisse a templo Melitensi, nulla tamen probabili ratione addita. Certe ex Pausaniae silentio nihil concludi potest.

O. Jahn Sophocl. Electra p. 7) ex Hieronymo Rhodio et Tertullianus, cuius locum Jahn. exscripsit. Paullo aliter Cicero de diuin. I, 25, 54 rem narrat, non coronam (στεφάνη) sed pateram surreptam esse dicens non ex arce sed ex aede Herculis, cui cum rem Sophocli indicasset, inde Indicis cognomen datum esse. Videtur autem Cicero liberius rem ex graecis fontibus depromptam tractare. Coniecturam ad hanc de Sophocle fabulam protulit ualde speciosam Boeckhius. Putat enim, propterea quod Sophocles potissimum furtum in arce factum deprehendisse dicatur, eum eo maxime tempore munere hellenotamiae [1]) functum fuisse. Tum perbene perspicitur, cur Sophocli maxime, quippe qui curam pecuniae foederatorum in arce adseruatae haberet, Hercules rem indicasse dictus sit. Vita autem hanc narratiunculam eo consilio tradit, ut illum ita ut nullum alium a dis dilectum esse probet [2]).

Memoratu porro dignum est, Athenis in solemnibus Apaturiorum die tonsurae (κουρεῶτις) pueris puellisque crines esse abscissos deisque Dianae et Herculi [3]) dedicatos. cf. Mommsen. Heortogie p. 310. 316. Inde, quod Herculi, non Apollini haec dedicatio instituitur, antiquitas cultus Herculanei conligi debet. Recte enim Mommsen. nullam esse causam dicit, cur hanc crinium dedicationem statuamus prius Apollini factam esse; Dianam enim Athenis antiquiorem esse quam Apollinem. Quamquam Mommsen. de Hercule

---

1) Hoc Ol. 84, 2 44$^{3}/_{2}$ factum esse Sauppe, Gött. Nachr. 1865 p. 244 ex titulo comprobauit, cum Boeckh. Staatsh. d. Ath. II² 456. 462. Ol. 86, 1 coniectura statuisset.

2) cf. Leutsch. Philol. S. B. I, p. 128 de Herculis et Sophoclis necessitudine agens.

3) Certe hoc in aliquo Herculis templo urbano factum esse debet; et simplicissimum uidetur, ut templum Melitense intellegatur.

nihil dicit (p. 316) [1]). Praeterea Herculi ab ephebis prius quam tondebantur, uini libatio offerebatur [2]).

Multo uero grauiora et ampliora erant sacra Herculi in agris Atticae instituta, inter quae primum locum obtinet Herculis in Cynosarge templum.

Cynosarge [3]), teste Pausania I, 19, 3 locus sacer Herculi dedicatus, ante portas Diomeias septentrionem inter et orientem ex arce Athenarum situm erat in pago Diomeensium, ut ex loco uitae Isocratis [4]) apparet, prope cliuum ad eos colles pertinentem, qui Ilissum et Cephissum interiecti, antea nomine Lycabetti et Anchesmi, nunc Turkobuni [5]) significantur. Haud longe afuisse ab urbe Cynosarges docet Diog. Laert. VI, 1, 13 in uita Antisthenis *διελέγετο δ' ἐν Κυνοσάργει γυμνασίῳ μικρὸν ἄπωθεν τῶν πυλῶν.* Partem urbis ipsius comprehendisse illum locum, quae est sententia A. Kampeni (De parasitis apud Graecos sacrorum ministris. Gott. 1857), testimoniis ueterum non confirmatur. Quod Fritzsche, de Daetal. Aristoph. p. 29 n. 15 putat, e uerbis Socratis in Axiocho p. 364 A *ἐξιόντι μοι ἐς Κυνόσαργες καὶ γενομένῳ κατὰ τὸν Ἰλισσὸν* sequi Cynosarges trans Ilissum

---

1) Omnino in libro suo (Die Heortologie, antiquarische Untersuchungen über die städtischen Feste der Athener.) Herculis cultum Athenis habitum prorsus neglexit.

2) cf. Photius *οἰνι(α)στήρια. σπονδὴ τῷ Ἡρακλεῖ ἐπιτελουμένη ὑπὸ τῶν ἐφήβων, πρὶν ἀποκείρασθαι. Εὔπολις Δήμοις.* Hes. u. *οἰνιστήρια. Ἀθήνησιν οἱ μέλλοντες ἐφηβεύειν πρὶν ἀποκείρασθαι τὸν μαλλὸν εἰσέφερον τῷ Ἡρακλεῖ μέτρον οἴνου καὶ σπείσαντες τοῖς συνελθοῦσιν ἐπεδίδουν πίνειν· ἡ δὲ σπονδὴ ἐκαλεῖτο οἰνιστήρια.* cf. Pamphilus (Ath. XI, 494 F); Eustath. p. 907, 18. *οἰνιστήρια* memorat Hercule non nominato Poll. III, 52. VI, 22.

3) cf. etiam Rangabé de situ Cynosargis agens, bull. 1850. N. VIII. p. 133 sq.

4) (Plut.) vit. X orat. H. XII, 240 (*Ἰσοκράτης*) *ἐτάφη — μετὰ τῆς συγγενείας πλησίον Κυνοσάργους ἐπὶ τοῦ λόφου ἐν ἀριστερᾷ.*

5) cf. Ernst Curtius, Sieben Karten von Athen. Text p. 6.

fuisse, errat uir doctissimus. Socrates enim ex Olympieo ueniens ad Ilissum se conuertere solebat, ut inde secundum flumen per maiorem uiae partem in hortis progressus locum illum adsequeretur, et ex uiae huius ratione recte conclusit Leakius (Topogr. uers. Rien. p. 215) Cynosarges ad australem horum montium partem situm fuisse. Paullo accuratius Göttling.[1]) putat situm definiri posse statua Herculis aliqua in hac regione inuenta, quae ei ex ipso Herculis in Cynosarge templo repetenda uidetur. Quae tamen ratio satis lubrica est; argumenta eius insuper impugnauit C. Wachsmuth. (Rh. M. XXIII, p. 20.)

Fuit in hac regione templum Herculis, quamquam Pausanias aram tantum memorat Herculi exstructam et cum Iuuenta eodem modo coniunctam quam Iolai et Alcumenae (l. d.); sed uidetur praeter templum ara quoque ibi exstitisse, templum ipsum e. gr. adfert Athenaeus XIV, p. 614 D *τὸ Διομέων Ἡράκλειον.* Una cum templo coniunctum erat gymnasium, quod aequiparatur Lycio et Academiae[2]), circumdatum luco et ambulationibus amoenissimis[3]). Regio autem, in qua templum gymnasiumque erat, haud parui ambitus fuisse debet, ut terra deo sacra (*τέμενος*) si non circumdata muro uel sepimento, certe terminis (*ὅροις*) a profano secreta. Nam Herodotus narrat VI, 116 Athenienses una cum Plataeensibus post pugnam Marathoniam huc se recepisse, ut barbaros, qui Sunium promunturium circumuecti Phalerum adpellere uellent, e loco munito sustinere possent. Ac Goettling (Ges. Abhandl. I, p. 253) iam antea hunc locum

---

1) Ber. d. sächs. Ges. d. Wiss. Phil. hist. Cl. VI. 1854. p. 19 sq. fusius de Cynosarge agit, retractauit curis secundis Ges. Abhandlungen II. p. 165 sq.

2) Harpocrat. s. u. *Ἀκαδημία τρία ὑπῆρχον γυμνάσια Λύκειον Κυνόσαργες Ἀκαδημία.*

3) Axioch. p. 372 A *κἀγὼ δὲ ἐπάνειμι ἐς Κυνόσαργες ἐς περίπατον, ὅθεν δεῦρο μετεκλήθην.*

munitum castelli instar usurpatum esse coniecit a Pisistratidis contra Lacedaemonios pugnantibus, nisus ut uidetur tantum modo Herodoti uerbis, V, 63 Anchimolii sepulcrum narrantis ἀγχοῦ τοῦ Ἡρακληίου τοῦ ἐν Κυνοσάργεϊ esse Alopeeae in pago, qua de re coniecturas proferre mihi ualde inutile uidetur.[1]) Ex eodem Herodoti loco conclusit Petersen. (das Gymnas. d. a. Gr. p. 28), scriptorem Cynosarges pagum fuisse testari, id quod Steph. Byz. s. u. Κυνόσαργες tradit. At iamdudum a Muellero (ad Leakii topogr. p. 460) intellectum est, errasse Stephanum certissime inde refutandum, quod in inscriptionibus numquam pagus Κυνόσαργες inueniatur. Immo grammatici docent, Cynosarges ad pagum Diomeensium pertinuisse.[2]) Ac si fabulam sacerdotum quaerimus, quae causam huius uenerationis e mythica aetate repetebat, Diomum Collyti filium Herculis amasium fuisse audimus, qui heroi inter deos relato diuinum honorem instituerit. Sic tradit Steph. Byz. s. u. Διόμεια — Ἡρακλῆς γὰρ ἐπιξενωθεὶς παρὰ Κολύττῳ ἠράσθη Διόμου τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ, οὗ ἀποθέω — idemque s. u. Κυνόσαργει — Διόμος γὰρ ὡς θεῷ θύων τὰ ξενώσων ἱερὰ Ἡρακλεῖ ἥρῳ ἔδειξε (uerba grauiorem labem traxerunt quam quae facili coniectura sanari possint) καὶ

1) Etiam postero tempore Philippus Demetrii filius Cynosarge castrorum loco usus est, auctore Liuio 31, 27 qui haec habet: Philippus — castra ad Cynosarges — templum Herculis gymnasiumque et lucus erat circumiectus — posuit. Sed et Cynosarges et Lycium et quidquid sancti amoeniue circa urbem erat, incensum est dirutaque non tecta solum sed etiam sepulcra nec diuini humanique iuris quicquam prae inpotenti ira est seruatum.

2) cf. Steph. Byz. s. u. Διόμεια, δῆμος τῆς Αἰγηίδος φυλῆς. ὁ δημότης Διομειεύς. s. u. Κυνόσαργες, γυμνάσιον ἐν τῇ Ἀττικῇ καὶ δῆμος ἀπὸ Διόμου, ἀφ' οὗ ὁ χῶρος Ἀθήνησι Διόμεια καλεῖται. Hes. Διομειεῖς δῆμος Ἀθήνησιν ἀπὸ τοῦ Διόμου τοῦ Κολυττοῦ (Κολλυτός lapidum testimonio nomen scribendum est. cf. Sauppe de demis urbanis p. 7) παιδός. schol. Ar. Ran. u. 651. Δῆμος τῆς Αἰγηίδος φυλῆς ἀπὸ Διόμου (ἐρωμένου abest a Ran.) τοῦ Ἡρακλέους.

αὐτῷ κύων λευκὸς ἁρπάσας τὰ μηρία εἰς τοῦτο τὸ χωρίον ἤνεγκεν. Diomum Herculis amasium fuisse docet schol. Ap. Rh. I, 1207. *ἐγένοντο δὲ πολλοὶ ἐρώμενοι Ἡρακλέους Ὕλας Φιλοκτήτης καὶ Δίομος καὶ Περιθόας καὶ Φρίξ.* et scholiasta ad Arist. Ran. u. 651 haec de eo habet: *περὶ οὗ καὶ Ῥιανός*[1]) *φησι δηλῶν, ὅτι Δίομος Ἡρακλῆς ἐγένετο.* Alii grammatici narrant, oraculi iussu Herculi templum esse exstructum prodigii expiandi causa, quod canis alba abreptis femoribus uictimae edidit. Iam Pausanias ait, *καὶ τὰ μὲν ἐς τὴν κύνα εἰδέναι τὴν λευκὴν ἐπιλεξαμένοις ἔστι τὸν χρησμόν.* Fere eadem tradunt Photius et Suidas.[2]) Anti-

---

1) De Rhiani Cretensis Heracleide, in qua eum etiam amores Herculis tractasse conligere possumus ex hoc loco (cf. O. Iahn, Nuove Memorie p. 11 n. 2), cf. Meineke, Anal. Alexandr. p. 171 sq., qui p. 178 siue *παιδικὰ* addi et *Ἡρακλῆς* in *Ἡρακλέους* mutari iubet siue hanc tantum mutationem fieri, ita ut Diomus Herculis filius fuisse putandus sit. Hoc enim duobus iisque corruptis locis tradi uidetur. cf. Bekk An. I, 83 *ἀνὴρ ἀνέρος ἀνδρὸς ἄνδρομος ὡς παρὰ τὴν Διὸς γενικὴν Δίομος ὁ ἥρως ὁ πατὴρ Ἡρακλέους* et Etym. magn. p. 102, 45 *ἄνδρομος ἀπὸ τοῦ ἀνδρὸς, ὡς Διὸς Δίομος κυρίως ὁ πατὴρ Ἡρακλέους.* utroque loco *παῖς* scribendum esse Meineke satis probabiliter coniecit. Altero loco, ubi eadem leguntur in Et. M. p. 277, 21. dicitur tantum *ἥρως Ἀθηναῖος, ἀφ' οὗ Διομειὰς ἑορτή.*

2) s. u. *Κυνόσαργες. τόπος ἐστὶ παρ' Ἀθηναίοις καὶ ἱερὸν Ἡρακλέους κατ' αἰτίαν τοιαύτην. Δίομος ὁ Ἀθηναῖος ἔθυεν ἐν τῇ ἑστίᾳ· εἶτα κύων λευκὸς παρὼν ἥρπασε τὸ ἱερεῖον καὶ ἀπέθετο εἴς τινα τόπον. ὁ δὲ περιδεὴς ἦν· ἔχρησε δὲ αὐτῷ ὁ θεὸς, ὅτι εἰς ἐκεῖνον τὸν τόπον, οὗ τὸ ἱερεῖον ἀπέθετο, Ἡρακλέους βωμὸν ὀφείλει ἱδρύσασθαι, ὅθεν ἐκλήθη Κυνόσαργες.* cf. Schol. in Axiochum p. 967 ed. Tur. — *ὠνομάσθη δὲ οὕτως ἀπὸ κυνὸς ἀργοῦ ἢ ταχέος· καὶ γὰρ Ἡρακλεῖ θύοντος κύνα τοιοῦτον ἁρπάσαντα τοῦ θυομένου τὰ μηρία αὐτοῦ καταθεῖναι καὶ ἐπερωτήσαντος τοὺς θεούς, ποῖ Ἡρακλέους ἱδρῦσαι ἱερὸν, λαβεῖν χρησμὸν ἐν ἐκείνῳ τῷ τόπῳ.* Suidas s. u. *εἰς Κυνόσαργες*, cum s. u. *ἐς Κυνόσαργες* rem solito modo expediat. non canem, quem deo sacrificatum esse perhibet, sed aquilam facit canis exta rapientem: *καὶ γὰρ Ἡρακλεῖ θυόντων κύνα λευκὸν ἢ ταχὺν ἀετὸν ἁρπάσαντα τοῦ*

quitus autem fere ab omnibus haec uox constare putabatur ex uocabulo *κύων* et *ἀργὸς*, quod album significaret. Atque priorem uocabuli partem continere genetiuum uerbi *κύων* uix negari potest, si uocabula similia *Κυνὸς σῆμα Κυνοςκεφαλαὶ Κυνόςουρα* adlegamus; multo difficilius est alteram partem explicare. Ac Goettling. l. d. *ἀργὲς* idem esse putat ac uox *ἐναργὴς* et suppleri iubet uerbum *τέμενος*, ita ut *Κυνόςαργες* significet locum, ubi canis manifesto praesens fuerit. Demonstrare autem conatur, uocem *κύων* per se positam Cerberum illum notare, quem secundum fabulas Atticas Herculem Thebis una cum Theseo prius in Atticam portasse, quam Eurystheo monstraret. Haec si teneamus, multo melius arbitratur nos iurandi formulam *νὴ τὸν κύνα*, quae utpote de Cerbero intellegenda grandi litera scribatur oporteat, explicare posse; huic tamen explicationi similes istae iurandi formulae obstant uelut *νὴ τὸν χῆνα*, quas demum ex hac esse formatas nimis audacter statuit Goettling. (Ges. Abh. II, p. 169). Putat porro nomen Antisthenis, qui inprimis in Cynosarge docuit, *Ἁπλοκύων* tum demum lepidum fuisse, si unusquisque cogitatione triceps illud monstrum, a quo locus nomen traxerit, in comparationem uocauerit. Sed coniecit tantum u. d. Cerberum in Atticam esse transportatum ex Eur. Herc. fur. u. 1379, quo loco nihil certi indicatum est, et quod Ar. Pac. 315 uerbis *ὥςπερ ἡνίκ' ἐνθάδ' ἦν*, quae aperte ad solum Cleonem referenda sunt, ad Cerberi in Attica praesentiam alludi putat (ib. p. 157), mihi non persuasit. Ipse cogitaui, uocem *αργες*

θυομένου τὰ μηρία αὐτοῦ καταθεῖναι καὶ ἐπερωτήσαντας τοὺς θεοὺς λαβεῖν χρησμὸν ἱερὸν Ἡρακλέους ἱδρῦσαι ἐν τῷ τόπῳ. Breuiter fabulam de cane alba eadem ratione narrat Eustathius p. 1430, 56 et 1747, 8, 12, tum Cosmas ad Greg. Nazianz. (Migne Patrologiae series gr. lat. XXXVIII, Greg. Naz. IV, p. 478): *θυσίας πλησίον ἐν ἱερῷ γενομένης εἰςελθὼν ὁ κύων ἥρπασε κρέα τοῦ θύματος καὶ ἤγαγεν ἐν τῷ τόπῳ τούτῳ καὶ ἐκτίσθη τις ναὸς καὶ ἐκλήθη Κυνόςαργες.*

idem significare atque urbium Pelasgicarum nomen Ἄργος, planitiem, et »canis planum« interpretor, quamquam explicare nequeo, quid hoc sibi uelit. Denique Creuzer., quem sequitur Schoemann., nomen ad stellam caniculam referendum esse statuit; hac enim stella exorta deum solarem ante omnes exorandum esse, ne calore suo uehementissimo homines pessumdet. In quo tamen illud αργες non explicant. Iam ueteres desperasse de hac uoce explicanda et ideo a recta uia digressos esse docet Suidas s. u. ἐς Κυνόςαργες οἱονεὶ ἐς Κυνόσαρκες et Cosmas ad Greg. Naz. carmen l. d. Κυνόςαργες οἱονεὶ κυνὸς σάρκες ἀπὸ τῶν σαρκῶν καὶ τοῦ κυνός. ὕστερον δὲ τοῦ κάππα ἐξελθόντος εἰςῆλθε τὸ γάμμα. Ueriloquium igitur huius uocis dum meliora proferantur in incerto relinquendum est.

Constat autem gymnasium in Cynosarge proprie spuriis ad exercitationes destinatum fuisse.[1]) Ex loco Dionis[2])

---

1) cf. Suid. s. u. Κυνόςαργες. ἐπειδὴ οὖν ὁ Ἡρακλῆς δοκεῖ νόθος εἶναι, διὰ τοῦτο ἐκεῖ οἱ νόθοι ἐγυμνάζοντο οἱ μήτε πρὸς πατρὸς μήτε πρὸς μητρὸς πολῖται. s. u. ἐς Κυνόςαργες — καὶ οἱ νόθοι ἐνταῦθα ἐκρίνοντο, εἰ τοῦδε ὄντως [τοῦ δέοντος C.] γέγονεν υἱός. (Eadem Nonnus ad Gregor. Nazianz., quem locum exscripsit Meursius de fest. Atticis. s. Κυνόςαργες). Ἐκάλουν δὲ Ἀθηναῖοι καὶ τοὺς ἀπελευθέρους νόθους. s. u. εἰς Κυνόςαργες· ἐξ οὗ καὶ τοὺς νόθους ἐκεῖ συντελεῖν, ὅτι καὶ Ἡρακλῆς νόθος ὢν ἴσα θεοῖς ἐτιμήθη. (Eadem Apostol. X, 22). Bekk. Lex. rhet. An. I. p. 274 Κυνόςαργες γυμνάσιόν τι Ἀθήνησιν, εἰς ὃ ἐνεγράφοντο καὶ οἱ νόθοι[οἱ] ἐκ τοῦ ἑτέρου μέρους ἀστοί. (Goettling. οἱ νόθοι καὶ. Sed Kampen. l. d. p. 19 rectius ad aetatem Themistoclis refert deleto οι). Zenob. Prou. 94. K. τόπος, ἐν ᾧ οἱ νόθοι ἐξεκρίνοντο.

2) Dio Chrys. Or. XV, περὶ δουλείας καὶ ἐλευθερίας I, p. 259 Ddf. τί οὖν — κωλύει με ἐν Κυνοςάργει ἀλείφεσθαι μετὰ τῶν νόθων, εἴπερ ἐκ μητρὸς ἐλευθέρας ἴσως δὲ καὶ ἀστῆς τυγχάνω γεγονὼς καὶ πατρὸς οὗ σὺ φῄς; ἢ οὐ πολλαὶ ἀσταὶ γυναῖκες δι' ἐρημίαν τε καὶ ἀπορίαν αἱ μὲν ἐκ ξένων ἐκύησαν, αἱ δὲ ἐκ δούλων, τινὲς μὲν ἀγνοοῦσαι τοῦτο, τινὲς δὲ καὶ ἐπιστάμεναι καὶ οὐδεὶς δοῦλός ἐστιν ἀλλὰ μόνον οὐκ Ἀθηναῖος τῶν οὕτω γεννηθέντων.

optime patefit, quis ad hoc gymnasium pertinuerit, scilicet ii spurii, quorum patres ciues non erant, iique, quorum matres uel auiae ciuibus prognatae non erant. cf. Petersen., D. Gymn. p. 46. Ex eo, quod spurii se ibi exercebant, exsecrantium exclamatio explicanda est. Apostol. X, 22. *εἰς Κυνόςαργες, εἴρηται ἐπὶ ὕβρει καὶ ἀραῖς.* eadem Suidas.[1]) Et tale quid latere debet in narratione Tzetzae (chil. XIII. 489) referentis, in Ostracismo tesseras iudiciarias coniectas esse in Cynosarges; Goettling. l. d. inde concludit, ibi interdum contionem populi de ostracismo habitam esse, et rem his uerbis uerisimilem reddere studet, *da der Sage nach Theseus selbst der erste Ostrakisirte gewesen sein soll, d. h. wohl der Heros, welcher hier im Kynosarges dem Herakles den Platz räumen musste.* huius tamen coniecturae ne minimum quidem adminiculum adest. Ac Plutarchus (Them. I, 2) de Themistocle narrat, eum ad gymnasium in Cynosarge se contulisse: *διὸ* (quia spurius *πρὸς μητρὸς* erat) *καὶ τῶν νόθων εἰς Κυνόςαργες συντελούντων (τοῦτο δ' ἔστιν ἔξω πυλῶν γυμνάσιον Ἡρακλέους, ἐπεὶ κἀκεῖνος οὐκ ἦν γνήσιος ἐν θεοῖς, ἀλλ' ἐνείχετο νοθείᾳ διὰ τὴν μητέρα θνητὴν οὖσαν) ἔπειθέ τινας ὁ Θεμιστοκλῆς τῶν εὖ γεγονότων νεανίσκων καταβαίνοντας εἰς τὸ Κυνόςαργες ἀλείφεσθαι μετ' αὐτοῦ καὶ τούτου γενομένου δοκεῖ πανούργως τὸν τῶν νόθων καὶ γνησίων διορισμὸν καθελεῖν.* Fabula haec, etsi fortasse uera non est, tamen optime exprimit ingenium et mores Themistoclis quippe qui studuerit talia discrimina, qualia ab hominibus angusti pusillique animi constituerentur, remouere. Neque minus Socratem praecipuo amore uidemus in

---

1) Translato sensu de dictionibus quae abiciendae sunt, usurpat uocabula Gregor. Nazianz. Orat. contr. Iulian. I. p. 135 a. (Migne p. 642) *τἄλλα — ἀπερρίφθαι εἰς Κυνόςαργες ὥςπερ τὸ πάλαι τοὺς νόθους*, ut Plutarch. Erotic. p. 750 F *εἰ δ' οὖν καὶ τοῦτο τὸ πάθος δεῖ καλεῖν, ἔρωτα θῆλυν καὶ νόθον ὥςπερ εἰς Κυνόςαργες συντελοῦντα (εἰς?) τὴν γυναικωνῖτιν.*

Cynosarge ipso corpus exercuisse, qui et ipse opinionem uolgarem fortiter contempsit. Iam si causam circumspicimus, cur spurii potissimum ad hoc gymnasium relegati fuerint, mihi lux affulgere uidetur e loco Plutarcheo de exil. 6 *ἆρα οὖν ξένοι καὶ ἀπόλιδές εἰσιν Ἀθηναῖοι, οἳ μεταστάντες ἐκ Μελίτης εἰς Διόμεια* (sic iampridem correctum. l. l. *Διομίδα*) *ὅπου καὶ μῆνα Μεταγειτνιῶνα καὶ θυσίαν ἐπώνυμον ἄγουσι τοῦ μετοικισμοῦ τὰ Μεταγείτνια.* cf. Mommsen. Heortologie p. 205 sq. Coactos autem esse apparet eos qui Melitae consedissent, ut domicilia in Diomeensium pagum transferrent; itaque peregrini fuisse uidentur, id quod Sauppe de demis urbanis p. 23 intellexit, cuius uerba infra exscribo, cum rem mihi prorsus recte explicare uideantur: — »nomen Apollinis Metageitnii h. e. aduenae, cui festum illum diem sacrum fuisse Harpocratio p. 126, 18 testatur, facit ut originem ex illis temporibus repetam, quibus Dorienses cum Apolline suo per Graeciam uagarentur et alias ciuitates ui sibi subicerent, in aliis si paucis essent, precibus sedes impetrarent. Qui ita recepti essent, festum illum diem uidentur primi instituisse.« Haec Sauppius; quae si probamus, non difficile est ad intellegendum, etiam postea homines sensisse, pagum Diomeensium habitari a peregrinis, qui uere Athenienses non essent, et inde factum esse, ut omnes, qui non uere Atticis ciuibus essent prognati, ad haec in Cynosarge sacra ex populi decreto relegarentur. Paullo tamen post decretum illud in obliuionem abiit, qua de re denuo pronuntiaretur necesse erat. Hoc ab Alcibiade factum esse discimus ex Polemone, cuius uerba Athenaeus VI, p. 234 E nobis seruauit: *ἐν Κυνοσάργει μὲν οὖν ἐν τῷ Ἡρακλείῳ στήλη τίς ἐστιν, ἐν ᾗ ψήφισμα μὲν Ἀλκιβιάδου, γραμματεὺς δέ Στέφανος Θουκυδίδου, λέγεται δ' ἐν αὐτῷ περὶ τῆς προσηγορίας οὕτως· τὰ δέ ἐπιμήνια θυέτω ὁ ἱερεὺς μετὰ τῶν παρασίτων. οἱ δὲ παράσιτοι ἔστων ἐκ τῶν νόθων καὶ τῶν τούτων παίδων κατὰ τὰ πάτρια. ὃς δ' ἂν μὴ θέλῃ παρασιτεῖν, εἰςαγέτω καὶ περὶ τούτων εἰς τὸ δικαστήριον.* Iam delati

sumus ad quaestionem de parasitis Herculis, quam Kampen. l. d. peculiari commentatione satis accurate tractauit, quamquam haud raro mihi nodum in scirpo quaesiuisse uidetur. Haec autem certa esse puto, spurios, etsi non est cur cum Muellero sumamus habitasse omnes in pago Diomeensium, ibi recensitos et in codices esse relatos et sumptus sacrorum Herculi faciendorum stipe conlata sustulisse (cf. Demosth. contr. Aristocratem § 214 cum Weberi adnotatione p. 539, Hermann. de syntelia, Gott. 1854). Iam statuitur isto decreto, parasitos Herculi ex istis spuriis eligendos esse; siquis uero munus parasiti recusaret, sacerdos eum hac ipsa de re non minus quam de aliis si qua peccarit ad iudices deferret. Ita enim haec uerba bene explicari possunt, neque est, cur Kampen. miretur, Prellerum (ad Polemon. fragm. p. 117 sq.) non in hoc loco offendisse, et propter uoculam *καὶ* lacunam statuendam esse putet. Causas autem, cur spurii munus illud detrectauerint, uarias excogitari posse in propatulo est; sacra menstrua cum sacerdote obeunda erant, et si non in ea regione domicilium habebant, satis molestum erat hanc ob rem iter facere; accedit, quod fortasse ualde iniucundum erat, hac uice fungi, sacrificium parare, pompam instituere, carnem uinumque emere multaque alia officia obire, quae sane ingrata evitari non potuerunt; denique quicunque spurius erat, certe occasionem anxie euitauisse putandus est, ut omnibus hoc ipsum appareret tali officio ab eo publice suscepto. Verba autem legis eo minus offensionem praebent reputanti, hunc priscum morem tum temporis instauratum per non breue tempus fuisse neglectum. Vnum autem, quod in hoc munere iucundum fuisse uidetur, scilicet ut parasiti una cum magistratibus et sacerdotibus epularentur, unde nomen duxerunt, uereor, ne nobis iusto magis arrideat. Videamus enim, quid Athenaeus ex statua quadam in Anaceo Dioscurorum sacro Atheniensi nobis referat: *τοῖν δὲ βοοῖν τοῖν ἡγεμόνοιν τοῖν ἐξαιρουμένοιν τὸ μὲν τρίτον μέρος εἰς τὸν ἀγῶνα, τὰ δὲ δύο μέρη*

τὸ μὲν ἕτερον τῷ ἱερεῖ, τὸ δὲ τοῖς παρασίτοις« (VI, p. 235 A), quamquam quot fuerint omnino ignoramus.

Iam nobis fragmentum Diodori Sinopensis (Ath. VI, p. 239) tractandum est ex comoedia *Ἐπίκληρος*, in quo poeta quam necessitudinem parasiti illi recentes, homines nequissimi, habuerint cum ueteribus illis sacrorum ministris, explicare studet. Ex hoc haec potissimum huc faciunt:

τὸν Ἡρακλέα τιμῶσα λαμπρῶς ἡ πόλις,
ἐν ἅπασι τοῖς δήμοις θυσίας ποιουμένη
εἰς τὰς θυσίας ταύτας παρασίτους τῷ θεῷ
οὐπώποτ' ἀπεκλήρωσεν οὐδὲ παρέλαβεν
εἰς ταῦτα τοὺς τυχόντας ἀλλὰ κατέλεγεν
ἐκ τῶν πολιτῶν δώδεκ' ἄνδρας ἐπιμελῶς
ἐκλεξαμένη τοὺς ἐκ δυ' ἀστῶν[1] *γεγονότας*
ἔχοντας οὐσίας καλῶς βεβιωκότας.

Pergit deinde poeta, diuites Herculis exemplum imitatos fuisse ac sibi ipsos quoque parasitos comparauisse eo tamen discrimine, ut non homines probos et genere nobiles, uerum eos sumerent, qui omnia sibi blandiri et adsentari possent. Sed hac in re ante omnia tenendum est, poetam comicum uerba facere, non historicum; intererat scilicet poetae, urbano modo audientibus explicare, cuinam gens ista parasitica quasi uitam deberet, diuitibus scilicet, qui fastu et superbia elati eodem modo quo Hercules honorari cuperent; hanc tamen posteriorum parasitorum cum antiquis coniunctionem mero arbitrio poetae fictam esse quis est qui non statim uideat? Nihil puto, ex hoc loco concludere possumus de antiquis illis Herculis parasitis; ualde suspectum iam id est, urbem omnibus in pagis Herculi sacra instituisse et parasitos elegisse duodecim. Duodecimne ad unumquemque pagorum? Credat Iudaeus Apella. Etiam de numero parasitorum ex hoc loco nihil conligere debemus, mea

---

1) Sic Cobet. facillima et elegantissima emendatione. l. l. *δυναστῶν*.

quidem sententia. Non ita multos fuisse docet fragmentum Aristotelis de republica Atheniensium, ubi de archontum parasitis sermo est (Müll. FHG II, 121 fr. 476 Rose, Aristot. fragm. Rep. Ath. fr. 89 p. 457 sq.), a Kampeno neglectum: *παράσιτοι τοῖς μὲν ἄρχουσιν δύο καθ' ἕκαστον ἦσαν, τοῖς δὲ πολεμάρχοις εἷς. Τεταγμένα δὲ ἐλάμβανον παρ' ἄλλων τέ τινων καὶ τῶν ἁλιέων ὄψον.* Porro causa nulla uidetur, cur Kampeno credamus, parasitos Herculis antiquissimos omnium fuisse (p. 41), cum ipse Acharnenses demonstret Apollini ad sacra faciunda parasitos instituisse (p. 36) et Pallenenses Mineruae (p. 43 sq.) neque Athenienses non in Anaceo Dioscuris (p. 47 sq.). Omnino cuilibet antiquiori cultu adhibiti uidentur parasiti, postea demum sumptibus nimis auctis res obsoleuisse censenda est; hoc tamen mihi omni dubitationi exemtum uidetur, sicubi parasiti commemorentur, ea ipsa re antiquitatem cultus demonstrari.

In lege illa Alcibiadis parasitos e spuriis eligi constitutum est; non tamen ideo etiam sacerdotem e spuriis desumptum esse conligere possumus. Probauerunt enim Meier. de gentil. Att. p. 30 n. 244 et Schoemann. Antiqu. iur. publ. Graecorum p. 258, ad sacerdotia eos tantum admissos fuisse ciues, qui auis aut certe patribus ciuibus procreati essent.

Iam de Herculis in Cynosarge solemni agendum mihi est. Praecipue[1]) hic in censum uenit locus Aristophanis Ranarum u. 652, a quo recte intellecto tota res pendet. Xanthias enim, qui Herculis partes agit, uerberibus ab Aeaco pulsus alta uoce eiulat et ab illo interrogatus, quid

---

1) Notandus mihi uidetur locus Suidae *ἐν Διομείοις Ἡράκλειον, ἡ ἐν διομειοις ἀγομένη τῷ Ἡρακλεῖ ἑορτή* et similis Harpocrationis, *ἐν Δ. Ηρ. Ὑπερίδης κατὰ Κόνωνος. τῆς ἐν διομείοις ἀγομένης ἑορτῆς τῷ Ἡρακλεῖ μνημονεύουσι καὶ οἱ κωμικοί*, cum alioquin constans uideatur usus fuisse significandi templum Herculis numero singulari, solemne plurali.

lamentetur — si enim uere deus est, dolorem sentire non debet —, haec ait

οὐ μὰ Δί' ἀλλ' ἐφρόντισα,
ὁπόθ' Ἡράκλεια τἀν Διομείοις γίγνεται.

Video hunc locum duobus modis intellectum esse. Droysen in uersione germanica, quem sequi uidetur Fritzsche, de Arist. Daetal. p. 26 n. 11, putat, Xanthiam partes agere senis seueri et ideo exclamare: uae cogitaui, quando forent Herculis solemnia in Diomeia, in quibus adolescentes summam lasciuiam exercere solent. Ac Fritzschius uersum hunc Ranarum, quae Lenaeis acta fuit fabula, frigidissimum esse putat, si Diomeenses longo tempore post festos dies in Herculis honorem obierint. Negari non potest, hanc sententiam nimis esse quaesitam et Xanthiae partibus male conuenire. Altera sententia est Kockii. Xanthias Herculem deum repraesentare uolt, itaque queritur deus, quod solemne suum tam remoto tempore celebretur; quam maxime enim hac solemnitate se gaudere et uehementer festorum dierum laetitiam desiderare. Quod Kockius cum hoc loco Demosthenis locum ex oratione de Aeschine male legato coniungit §. 86. 125, de hoc infra agemus, si omnia Herculis solemnia absoluerimus; etiam de sexaginta illis uiris, qui Herculis in honorem nugabantur, a Kockio cum hoc solemni coniunctis paullo infra dicetur; hoc quidem constat, festum illum diem Herculis quam maxima cum licentia et lasciuia actum esse (cf. Welcker. G. G. II, 785 s.). Et huc referendam esse puto appellationem, quam Aristophanes in Acharnens. fab. u. 603 nonnullis ex pago Diomeia oriundis indit Διομειαλαζόνες, quippe qui ipsius tempore prae ceteris summam in hoc solemni exercuerint lasciuiam. Ac Schoemann. quidem (Antiquit. p. 305 n. 4. Gr. Alterth. II² p. 517) eosdem esse putat eos atque sexaginta illos scurras, quae tamen mera coniectura est, cum nullo loco nobis traditum sit, istam sodalitatem iam Aristophanis temporibus exstitisse, quam postea tantum aetate Philippi regis Macedonum floruisse

constet (Ath. VI, p. 260 A. XIV, p. 614 C.) Non minus coniectura tantum est Peterseni, Das Gymnas. d. Gr. p. 18, quam nondum quantnm equidem scio argumentis fulsit (p. 47 n. 23 id promisit), in solemnibus Herculis in Cynosarge habitis tot hostias ad sacrificandum esse oblatas, ut uniuersus inde populus cenare posset. Tempus huius solemnitatis notum non erat neque constabat, utrum quotannis celebrata esset (quae in Schol. Ar. Ran. l. d. in codice Regio traduntur ἑορτὴ κατέτος ἀγομένη uerba fortasse ex hoc Aristophanis loco conclusa sunt), an quarto quoque anno, id quod Kockius statuit nixus loco Pollucis (VIII, 107), neque exploratum erat, id quod Kampen. l. d. p. 31 nullo addito auctore nobis tradidit, etiam ludos ibi actos esse [1]), donec noua lux huic quoque solemni affulsit breuiario fastorum Atheniensium, quod C. Boetticher. (Philol. XXII, p. 386 sq. XII Ergänzungen z. d. letzt. Unters. a. d. Akrop. z. Ath.) nuper publici iuris fecit. Zophorus enim anaglyphis ornatus, qui in aede sacra Παναγία Γοργωπίκο affixus erat, repraesentat decem Atheniensium sollemnia per nouem menses habita, ita ut tempus uniuscuiusque superaddita stella significetur. Iam finem huius zophori facit repraesentatio (p. 421 sq.), ubi sex homines stantes uidemus effictos. A sinistra parte femina est, alata, manibus canistrum portans pomis repletum. Sequitur hanc uir totus pallio uelatus, hunc excipit in media parte Hercules cum claua et pelle leonina, Herculis a latere femina stat tota matronae instar uestita, quae dextra rem tenet fuso similem; id quod sinistra habuit interiit [2]), prope hanc a dextra homo est prorsus ei, qui ipsi altera in parte respondet, aequalis. Claudit agmen paruolus puer equitans, supra quo taenia est coronae in formam redacta, mensis signum. Cum Hercules hic procul

---

1) Equitasse ibi Athenienses docet Andoc. de myst. 61 ὕστερον δ' ἐγὼ μὲν ἐν Κυνοσάργει ἐπὶ πωλίον ὃ μοι ἦν ἀναβὰς ἔπεσον.

2) Boetticher. glomum fuisse suspicatur p. 422.

dubio expressus sit, certissime hic Herculis solemne repraesentari putandum est. Vt singulas personas explicemus, magno adiumento est, quod accuratissime binos sibi respondere uidemus. Mulier quae prope Herculem stat, Iuuenta censenda est, uxor Herculis id quod etiam uelo significatur. Secuntur ab utraque parte ex Boetticheri sententia parasiti, quippe qui significent quod huic solemni prae aliis proprium fuerit. Figura deinde alata Boettichero p. 422 hora auctumni uidetur *Καρπώ* opes istius temporis anni largiens, tempus uero iam corona illa indicatur, itaque eam aliter explico. Cum enim haec respondeat puero equitanti, qui sine dubio ludos equestres significat, puto hanc figuram alatam esse Victoriam, quae praemia offert uictori poma. Mala autem praemia uictoriae ursurpata esse constat. Cf. Boehneke, Forschungen a. d. Geb. d. a. R. I, p. 309. Hoc enim praefero Boetticheri sententiae, malis ad sacrificium Herculi in Bocotia et Melitae institutum alludi. Iam quaeritur, quodnam Herculis solemne hac repraesentatione significari putandum sit. Atque hic nullus dubito Boetticheri sententiae subscribere, Heraclea in Cynosarge habita intellegi. Recte enim ratiocinatur, omnino oportuisse, eorum Herculis sacrorum, quae ei per agros celebrata essent, quasi uicaria sacra in urbe ipsa constitui; et simplicissimum erat, sacra in Cynosarge publice celebrare, cum haud longe ab urbe afuerint. Quae si recte disputata sunt, etiam tempus istius solemnitatis definire contingit. Vt Boetticher. docet p. 423 corona est Ariadnae stella *Στέφανος βόρειος*, quae die 21 mensis boedromionis apparet. Iam quaeritur, num etiam dies coniectura inueniri possit. Et quartum diem, qui alias Mercurio et Veneri sacer erat [1]), Athenis etiam Herculi dedicatum esse Philochorus [2]) tradit. Haec mihi

---

1) cf. Lobeck. Aglaophamus I, p. 430 sq. Baumeister., hymni Hom. p. 189 sq.

2) M. FHG I p. 413, fr. 177: Suidas s. u. *τετράδι γέγονας. ἐπὶ τῶν ἄλλοις πονούντων· καὶ γὰρ τὸν Ἡρακλέα τετράδι γεννηθέντα*

inde conclusisse uidetur, quod Athenis isto die Herculi sacra menstrua et solemnia annua celebrabantur. Neque huic aduersatur schol. ad. Ar. Plut. u. 1126. ἔξω τῶν ἑορτῶν ἱεραί τινες τοῦ μηνὸς ἡμέραι νομίζονται Ἀθήνησιν, οἷον νουμηνία καὶ ἑβδόμη Ἀπόλλωνι τετρὰς Ἑρμῇ καὶ ὀγδόη Θησεῖ, cum ibi Hercules nominatus non sit. Qua de re, si haec ratiocinatio recte habet, quartum diem mensis Pyanopsionis huic Herculis solemnitati destinauerim (= 17 die m. Octobris).

Ope igitur huius anaglyphi adiuti uidimus tempus huius solemnitatis, deinde etiam ludos equestres in ea habitos esse, tum annuam eam fuisse, quia aliter in hanc Atheniensium fastorum epitomen recipi non potuit.

Breuiter deinde collegium sexaginta scurrarum [1]) tractare liceat. Sodalitas erat Herculis in honorem instituta, quae in templo Herculis Diomeio conuenire solebat, tempore Philippi Macedonum regis. Eos cotidie in templo uel quod rectius sumitur in aedificio prope templum sito cenauisse, id quod Kampen. p. 24 narrat, nusquam traditur. Coniunctionem, quam ille iis cum parasitis fuisse demonstrare uolt, nullam exstitisse iam breuiter monuit Otto Luedersius meus (Quaestionum de artific. scen. colleg. prolusio. p. 15). Kampenum si sequimur, iam Philippi temporibus sanctitatem ministerii parasitorum labasse putemus oportet; mansisse tantum conuiuia numerumque conuiuantium ita esse auctum, ut sexaginta hominum collegium euaserit p. 25. 51. Sed haec sententia non opus est pluribus refellatur.

Iam inscriptiones, in quibus cultus Herculis in Cynosarge memoratur, uideamus. Pittakis (L'ancienne Athènes

---

Εὐρυσθεῖ ταλαιπωρῆσαι. Φιλόχορος δέ φησι καὶ ἐπὶ Ἑρμοῦ αὐτὴν δύνασθαι λέγεσθαι, διατεθεῖσθαι δὲ Ἡρακλεῖ τὴν ἡμέραν ἐν ταύτῃ εἰς θεοὺς μεταστάντι. cf. Photius p. 500, 20 prorsus eadem tradens, Hes. s. u. τετράδι μέντ' οἴχου et τετράδι μὲν γέγονας, Zenob. VII, 7. p. 163. Apostol. XVI, 34 p. 666.

1) cf. Goettling, Ges. Abhandlg. I. p. 257. Ber. d. sächs. Ges. l. d. d. 21 sq.

p. 482) edidit dedicationis titulum: *Ἡρακλεῖ Δι[ομείῳ καὶ — | Ἀνέθηκεν*, cuius scripturam Goettling. mutat in *Δι[ομέων*, non probante Keilio, Phil. XXIII, p. 254. Fortasse Pittakis illum Herculem Diomeium ex exemplo Iovis Diomei, qui in loco Eustathii[1]) (p. 444, 21) memoratur, formatum esse putauit; sed in Eustathii loco uocem *Ζεὺς* repetitis ultimis prioris uerbi literis ortam esse iamdudum intellectum est. Tum Goettling. (Ber. d. s. Ges. p. 25) titulum exhibet mulieris Atticiae cuiusdam sepulcralem, qui in regione qua Cynosarges fuit, inuentus est. Exscribatur opus non est. Maiorem fructum praebet titulus (Rangabé, ant. hell. n. 878. II, p. 561 sq. Keil, Philol. XXIII, p. 245 sq.)

Ἡρακλέους ἱερομνήμον[ες
Χαρίσανδρος Δημοκρίτο[υ — —
Δημοκλῆς Κε[φά]λου Ἀλωπ[εκῆθεν
ἀπέδοντο χωρίον Ἀλωπ[εκῆσι . . .
ΔΙΙΙ. et q. s.

Itaque duo quaestores thesauri Herculis Charisander Democriti f. (unde ortus sit, interiit nota) et Democles Cephali f. Alopeca oriundus, quibus iuncti sunt duo *ἐπιμεληταὶ* Alopecenses ex gente Miltiensium hic apparent. Miltienses possidebant locum Herculi sacrum, quem hoc lapide se Lysistrato ex pago Atenensi orto uendidisse testantur adhibitis Herculis quaestoribus. Cum Alopeca pagus apud Herodotum V, 68 iuxta Heracleum in Cynosarge situs significetur, optime stat Rangabéi sententia, ad hoc templum titulum pertinere. De munere hieromnemonis, qui aerario templi praepositus est, cf. Keil l. d. p. 244 sq.

In alio titulo, quem edidit Pittakis Eph. Arch. 1204 et Rangabé Ant. hell. II, n. 2253, p. 946, tum Boeckh. accurata cum commentatione Monatsber. d. Berl. Akademie 1853 p. 557 sq. inter ea templa, e quibus ciuitas Atheniensis pe-

---

1) *ἔτι δ' ἀναλογώτερον εἰπεῖν ἐκ τοῦ Ἡρακλῆς Ἡρακλέους Ἡράκλεια καὶ μᾶλλον ἐκ τοῦ Διομειεὺς Ζεὺς Διομειέως Διόμεια.*

cuniam mutuata est Ol. 92, 3 — 93, 2 (Boeckh. p. 561), etiam l. 18 adfertur templum in Cynosarge:

[῾Ηρακλ]έους ἐν Κυνοσάργει 𐅅ΔΔΔ, τόκος τούτου C.

Itaque octoginta tantum drachmae inde depromptae sunt ad perbreue tempus octodecim dierum, ut Rangabé computauit p. 949. Vsura, quae inde rediit, proprie esse debebat 0, 272 ex obolo, secundum Boeckhium p. 576. Sed semiobolus minimus erat Atticus numus, igitur hic datus est. Summa satis exigua si ceteras sacrorum stipes spectamus indicare uidetur, certe tum temporis opes huius templi ualde fuisse muintas.

Aliam inscriptionem (Eph. Arch. 4091) tractauit Kirchhoff, Abhandlung. d. Berl. Akademie 1860. Bem. z. d. Urk. d. Schatzm. d. and. Götter p. 43 n. 9. b. 10. 11.

ΕΡΑΚ[λέους ἐν]
ΚΥ[νοσάργει]
ΠΣΣ Κ[υζηνικοῦ χρυσ|ίου.

Quod restat fragmentum, indicare uidetur Kirchhoffio summam stateris aurei. Aliam idem exhibuit (editam Eph. Arch. 4052) p. 46 n. 11. a. 5.

[῾Ηρακλε . . ὲ] κ
Κυνοσά[ργους].

Inscriptio porro (N. Eph. Arch. 115, 8 p. 124) exhibet ῾Ηρακλέους ε[ν Κυνοσάργει | τ]όκος τούτ[ων, ut restituit Kumanudes.

Ex his igitur uidemus, Herculis in Cynosarge cultum satis late patuisse et iam antiquissimo tempore institutum. Recte Muellerus Dor. I, p. 441 inde quod Diomus Collyti f. Herculis amasius dum uiueret, post eius inter deos factam receptionem isti sacrificasse dicitur, conlegit, etiam eos qui ad pagum Collytum pertinerent, ut Diomeensium adfines Herculem una cum istis coluisse. Nescio, quid ex Porphyrii loco conligere possimus (De abst. II, 10), ubi Diomus sacerdos Iouis Poliei primum bouem occidisse dicitur; cf. de Ioue Polieo Atheniensi O. Jahn, Nuove Memorie p. 11.

Num fortasse coniunctio quaedam statuenda est inter Iouis et Herculis cultum? Delphis cultum Herculis Athenas uenisse ex oraculo in sacra illa fabula memorato concludere possit aliquis, nisi potius fabulae isti non tanta fides haberi debet, ut de certo aliquo oraculo cogitandum sit. Nam uersus illi, quos Pausanias legit, postero tempore a sacerdotibus compositi esse possunt.

Porro etiam in tetrapoli,[1]) quae constabat ex quatuor pagis Marathone Oenoe Tricorytho Probalintho, Herculi cultus institutus erat antiquo tempore. Circum templum regio erat sacra Herculi, ab agro profano secreta (*τέμενος*), quam fortasse muro circumdatam ante pugnam Marathoniam (Herod. VI, 108 *Ἀθηναίοισι τεταγμένοισι ἐν τεμένεϊ Ἡρακλέος ἐπῆλθον βοηθέοντες Πλαταιέες πανδημεί*) et post eam (ib. 116) ab Atheniensibus castri instar usurpatam esse uidemus. Una cum Plataeensibus Athenienses numerum effecerunt undecim milium, ita ut ambitus huius agri satis magnus fuisse debeat. Auget etiam numerum Leakius (die Demen v. Att. übers. v. Westerm. p. 107), uelites Atheniensi exercitui adnumerandos esse ratus, dubito, num recte; tum enim locus iste eos uix capere potuit. De loco quo Herculis templum fuerit coniecturam fecit Leakius ex reliquiis sepimenti cuiusdam (*περίβολος*), quod isti templo adscribit (Demen p. 70), et hoc fundamento nixus in charta libro addita, qua planitiem Marathoniam accurate concinnauit, (tab. 2) Heracleum definiuit simulque sacram regionem, intrà quam castra posuerunt Athenienses. Etiam ad hoc templum parasitos pertinuisse ex fragmento Philochori discimus (156. M. FHG I, 410), qui peculiari libello tetrapolin tractauerat: *ταὐτὰ ἱστορεῖ Φιλόχορος ἐν τῇ ἐπιγραφομένῃ Τετραπόλει μνημονεύων τῶν καταλεγομένων τῷ Ἡρακλεῖ παρασίτων.* Nescimus autem, ad quod Herculis templum pertineant Clidemi uerba (Ath. VI, p. 235 A) *καὶ παράσιτοι*

1) cf. W. Gurlitt, de tetrapoli Attica. diss. Gott. 1867.

δ' ἡρέθησαν τῷ Ἡρακλεῖ. cf. Müller. FHG I, p. 361 fr. 10. Vtrum parasiti in templo Marathonio similiter ac Diomeenses e spuriis electi fuerint necne, ignoramus; tamen, cum hoc templi in Cynosarge Herculanei quasi proprium fuerit, et ob hanc rem disertis uerbis eius rei mentio fiat, hoc loco de spuriis, ut uidetur, cogitandum non est. Iam in solemnibus, quae hic Herculi nescimus quo tempore agi solebant, celeberrimos ludos esse habitos ex Pindaro discimus, qui in Ol. 9. carmine laudibus effert Epharmostum, qui ibi uictoriam ipse admodum adulescens cum uiris luctans reportauerit, u. 89 sq. Momms.

οἷον ἐν Μαραθῶνι συλαθεὶς ἀγενείων
μένεν ἀγῶνα πρεσβυτέρων ἀμφ' ἀργυρίδεσσιν.
φῶτας δ' ὀξυρεπεῖ δόλῳ
ἀπτῶτι δαμάσσαις
διήρχετο κύκλον ὅσσᾳ βοᾷ
ὡραῖος ἐὼν καὶ καλὸς κάλλιστά τε ῥέξαις.

Luctationem fuisse certamen e uerbis *φῶτας δαμάσσαις δόλῳ ὀξυρεπεῖ ἀπτῶτι* apparet, in quo callida dexteritate robur aetate maiorum uicisse putandus est. E uerbo *κύκλον* recte Boeckhius palaestram ibi exstitisse Herculi dedicatam conclusit. Panegyrin fuisse non ab Atticis tantum celebratam, sed a Graecis uniuersis docet uictor Opuntius. Iam poeta ipse *ἀργυρίδας* praemium uictori datum significat, quae uox cum plerumque poculum argenteum notet, in sermone Atheniensium pateras argenteas indicat. cf. Athen. XI, 502, A. *Ἀθηναῖοι τὰς μὲν ἀργυρᾶς φιάλας ἀργυρίδας λέγουσι, χρυσίδας δὲ τὰς χρυσᾶς.* Haec confirmat schol. Pind. (IX, 95) *νῦν τὰ Ἡράκλεια λέγει. τοῖς γὰρ Μαραθῶνι ἐν τοῖς Ἡρακλείοις ἀγωνιζομένοις φιάλαι ἀργυραῖ δίδονται ἔπαθλον.* Inde satis amplus horum ludorum apparatus intellegitur. Nam cum in ludis Graecorum non iam Homerica illa sumptuosa luxuria regnaret, ut tripodem, cratera, lebetem, equos uel aurum ipsum praemia constituerent, uidemus postea scilicet, ut pecuniae parcerent, praemia multo simpli-

ciora proposita esse. Sic in ludis Olympiis ex oraculi Delphici decreto loco praemii pretiosi corona oleagina (cf. Schoemann. G. A. II[2] 62) statuta est, in Pythiis laurea corona (Schoem. p. 65, 2. 3), in Nemeis corona ex apio contexta (Sch. p. 67), in Isthmiis corona apiana et postea pinea (Sch. p. 68). Athenienses contra magnas summas pecuniae in solemnia quam splendidissime obeunda inpendisse constat cf. Boeckh. Staatsh. I[2] p. 294. 299. Sic Pindarus carmine Ol. 13, in quo ludos enumerat, ubi Xenophon Corinthius se uicturum esse sperat, Marathonem adiecto uocabulo *λιπαρὰ* (u. 106) notat, ad quem uersum scholiasta: *καὶ πλουσία Μαραθὼν ἔνθα ἐτελεῖτο τὰ Ἡράκλεια, ἦν δὲ τὸ ἆθλον ἀργυρᾶ φιάλη.* Etiam alio loco (Pyth. VIII, 79 M.) Pindarus ludos Marathonios nominat, in quibus Aristomenes Aegineta uicit:

Μεγάροις δ' ἔχεις γέρας
μυχῷ τ' ἐν Μαραθῶνος, ubi scholium, quod exstat in codice Gottingensi, prorsus ineptum est.

Marathonii (Paus. I, 15, 4. 32, 4) gloriati sunt, se primos Herculi diuinos honores instituisse, unde antiquitas huius cultus non minus quam e pretioso ludorum apparatu patefit. Fortasse aliqua exstitit priore tempore coniunctio inter tetrapolin et Boeotiam. Nam etiam in confiniis Atticae et Boeotiae Hercules Acharnis diuinis honoribus cultus est, ut apparet ex Paus. I, 31, 6: *οὗτοι* (Acharnenses) *θεῶν Ἀπόλλωνα τιμῶσιν Ἀγυιέα καὶ Ἡρακλέα.* Notus est porro Amphiarai cultus, qui Oropi fuit. Ibi ara compluribus constitit e partibus (Paus. I, 34, 3); una Herculi Ioui Apollini dedicata, altera heroibus et heroinis, tertia Vestae Mercurio Amphiarao Amphilochi filiis. Etiam inde, quod Hercules disertis uerbis ab heroibus secernitur, patet, dei instar eum cultum esse. Ac Marathone praeter Herculem etiam Apollo cultus est. cf. Schol. Oed. Col. u. 1102, ubi Philochorus testis adfertur (fr. 158. M. FHG I, p. 411); ex ara Apollinis Delii hic exstructa theoria Attica Delum uecta est, perinde

atque ex ara Apollinis Pythii, quae Oenoae in pago erat, theoria Delphos proficisci solebat. Heros, a quo pagus Marathon nomen accepisse dicebatur, Marathus auctore Suida (s. u. *Μαραθὼν*) filius Apollinis erat. Tum mentionem facio tabulae illius in porticu Poecile pictae, quae pugnam Marathoniam repraesentauit, (Paus. I, 15, 3) auctoribus Panaeno et Micone (cf. Jahn, Arch. Aufs. p. 17 sq. Brunn Gesch. d. gr. K. II, p. 21 sq.). Ibi Hercules una cum Marathone, Theseo, Minerua expressus erat, utpote qui Atticae terrae patronus ex opinione uolgari in pugna Athenienses sustentasset.

Praeterca ex Polluce [1]) discimus, Piraeenses Phalerenses, Xypeteones et Thymoetadenses effecisse tetracomum. Huic quatuor uicorum societati commune fuit Herculis fanum, id quod Steph. Byz. s. u. *Ἐχελίδαι* [2]) docet. Tum Hes. s. u. *ἐν Ἐχελιδῶν* haec tradit: — *ἔστιν — ὁ Ἀθηναίων ἱππόδρομος ἐν Ἐχελιδῶν, ἐν ᾧ ἱππικοὶ ἤγοντο ἀγῶνες, καὶ ναὸς Ἐχέλου.* Itaque uidetur illud Herculis fanum, quod quatuor uicis commune erat, in finibus pagi Echelidensium situm fuisse; in hippodromo ibi certamina equestria habita fuisse confirmatur etiam titulo panathenaico (cf. Sauppe de inscriptione panath. Athen. p. 7). In urbe enim Athenarum ipsa non uidetur locus aptus fuisse, quam ob rem antiquiori tempore huc translati sunt ludi gymnici et equestres Panathenaeorum solemnium. Postea inprimis orator Lycurgus id egit, ut huic malo medela pararetur; stadium enim in urbe ipsa exstruendum curauit, quod primum ludis Pana-

---

1) IV, 105, *οὐκ οἶδα, εἴ τι προςῆκον ἦν (ὁ τετράκωμος τὸ τῆς ὀρχήσεως εἶδος) τοῖς Ἀθήνησι τετρακώμοις, οἳ ἦσαν Πειραιεῖς Φαληρεῖς Ξυπετεῶνες Θυμοιτάδαι* cf. IV, 100 *τετράκωμος, Ἡρακλέους ἱερά* et Hes. s. u. *τετράκωμος, μέλος τι σὺν ὀρχήσει πεποιημένον εἰς Ἡρακλέα ἐπινίκιον, ἐκαλεῖτο δὲ τέσσαρες κῶμοι.*

2) *Ἐχελίδαι δῆμος τῆς Ἀττικῆς ἀπὸ Ἐχέλου ἥρωος· οὗτος δ' ἀπὸ Ἕλους τόπου μεταξὺ ὄντος τοῦ Πειραιέως καὶ τοῦ τετρακώμου Ἡρακλείου, ἐν ᾧ τοὺς γυμνικοὺς ἀγῶνας ἐτίθεσαν τοῖς Παναθηναίοις.*

thenaicis Ol. 112, 3 usurpatum esse lapidum testimonio confirmatur.[1]) Iam de situ Herculis templi etiam accuratius edocemur; Ctesiae enim locus (c. 26) prope mare situm esse ostendit et in angustissimo quidem freti loco, ex aduerso insulae Salaminis, auctore Phanodemo, quem exscribit Plut. Them. 3 narrans, Xerxem regem pugnam Salaminiam spectasse ὑπὲρ τὸ Ἡράκλειον, ᾗ βραχεῖ πόρῳ διείργεται τῆς Ἀττικῆς ἡ νῆσος. Sic Diodorus XI, 18 refert, Graecos classe euectos fretum Salaminem inter et Heracleum occupasse. In decliui monte Aegaleo templum situm fuisse Herodotus tradere uidetur, cum regem Persarum ὑπὸ τῷ οὔρεϊ τῷ ἀντίον Σαλαμῖνος, τὸ καλέεται Αἰγαλέως sedisse dicat. Leake (Demen p. 130 sq.) reliquias templi cuiusdam prope portum qui appellabatur Φώρων λιμήν, ad hoc Heracleum putat referendas esse. Ex hoc templo praeclarissimus prospectus dabatur ad sinum insulamque Salaminiam, Psyttaliam et fretum usque ad sinum Eleusinium. Rectissime Schoemann. Gr. Alt. II² p. 516 statuit, quatuor illos uicos commune Herculis solemne egisse. Denique, ut hoc addam, saltatio illa Herculis in honorem instituta τετράκωμος ut per se patet nihil commune habet cum hac uicorum societate et potius a uoce κῶμος ducenda est.

Iam tituli nonnulli nobis seruati Herculis in Attica cultum inlustrant, quos nunc tractare in animo est. Ac primum inscriptionem, quam proponendam curauit Mesogaeorum societas, spectemus. Edita est seorsim in opusculo[2]), quod E. Curtius, postquam cursim eam tractauit (bull. d. J. 1840 p. 68 sq.) redux factus ex Graecia in lucem protulit, antea a Pittakis (Eph. Arch. 1839—41 n. 369), tum a Rangabéio Ant. hell. II, n. 799 p. 422 sq. disputauit de ea in censura libelli Curtiani Sauppe (Ien. Allg. Literaturztg. 1854, Nr. 60, p. 237 sq.), quem secutus est Kampen. l. d.

1) cf. Carol. Curtius, Phil. XXIV. p. 273 sq. Mommsen., Heortol. p. 152. Westermann., Βιογράφοι p. 278.

2) Inscript. Attic. nuper repert. XII. Berol. 1843.

p. 27 sq.; pauca rectius constituit Keil. sched. epigr. p. 34, quibus utar in uerbis describendis.

Ἀμυνόμαχος Φιλοκράτου Βατῆθεν εἶπεν. ἐπειδὴ Πολύευ|κτος ἄρχων κατασταθεὶς ὑπὸ Μεσογείων τὸν ἐνι|αυτὸν τὸν ἐπὶ Ὀλβίου ἄρχοντος ἐπεμελήθη τῆς τε | [θυσία]ς [1]) *καὶ τῆς πομπῆς τῷ Ἡρακλεῖ | ἐπεμελήθη δέ, [καὶ τῆς βοων]ί[α]ς* [2]) *καὶ τῆς κρεονομίας καὶ τῆς ἐπικοσ|[μήσεως τῆς τ]ραπέζης, ἐμέρ[ι]σεν δὲ καὶ εἰς τὸν οἶνον | [ἀνὰ ἕκαστον θ]ύτην* [3]) *δραχμὰς ὀκτώ, ἐπόησεν δὲ καὶ | .... του καὶ ἐμέρισεν τὸ ἀγοραστι|[κὸν περισσεῦσαν, ἐπεμε]λήθη δὲ καὶ τῶν λοιπῶν ἁπάν|[των .... ἀναγράψαι δὲ κ]αὶ τὰ ψ[η]φίσματα τὰ Μεσογείων | .... ἀγαθ]ῇ τύχῃ δεδόχθαι Μεσογεί[οις ἐπαινέσαι Πολύευκτον] τὸν* [4]) *Λυσιστράτου Βατῆθεν | [καὶ θαλλοῦ στεφάνῳ χρυ]σῷ* [5]) *στεφανῶσαι κατὰ τὸν | [νόμον τῆς εὐνοίας ἕνεκα καὶ τῆς] δικαιοσύνης τῆς | εἰς τὸ κοινὸν τὸ Μεσογείων, ἀναγράψαι δὲ τὸ]ν γ]ραμματεα* — honoratur igitur Polyeuctus Lysistrati f., quod sacerdotio Herculis in Mesogaeorum finibus culti archon per annum laudabiliter functus est, corona aurea, archonte Olbio. Tempus huius inscriptionis non ita difficile est satis accurate definire. Cum enim Olbius, cuius nomen in fastis Atticis desit, probabiliter magistratu post Olymp. 122, 1 functus

---

1) Sic Keil. Pittakis Curtius Rangabé *τελετῆς*, Sauppe *θαλίας*. Keilii lectionem melius cum eis quae secuntur cohaerere per se patet.

2) Sic Keil. Ceteri h. l. *θυσίας* legunt. Sed etiam quae secuntur, carnis distributio et praecipue mensae sacrae adornatio (cf. Lobeck. Aglaoph. II. p. 1084) requirunt uerbum, quod praeparationem sacrificii exprimit.

3) Sic suppleuerunt Pittakis et Rangabé. Curtius proponit *ἀνὰ ἡμέραν ἑκάστην*. Sed litera Υ clare apparet; uerba praeterea male conlocantur. Cum summa satis magna sit, fortasse cogitandum est, sacrificantium numerum minorem fuisse.

4) Addidit Curtius.

5) *θαλλοῦ* addidit Sauppe. Cf. Plat. Leg. XII, 943. C.

esse statuendus sit, ad hoc nomen Amynomachi Philocratis f. Batensis inter eos uiros adferatur, quos Epicuri testamentum aperuisse Diogenes Laert. X, 16 in uita Epicuri auctor sit, Epicurus autem Ol. 127, 2 mortuus sit, ad hoc tempus hic titulus a Curtio et Rangabéio optimo iure relatus est. Ante omnia autem quaeritur, ubi *τὸ κοινὸν τῶν Μεσογείων* fuerit, de qua re ualde ambigitur. Notissimum quidem est, Atticam antiquam in tres partes fuisse diuisam, in Pediadem siue Mesogaeam, planitiem scilicet, quae circa Hymettum porrecta occidentem uersus ad Aegaleum, a septentrione ad Parnethem, orientem uersus ad Pentelicum pertineret, tum in Diacriam siue Epacriam, quae totam Atticae partem orientalem montuosam usque ad Brauronem contineret, denique in Paraliam siue Actaeam, quae meridionalem peninsulae partem usque ab Hymetto et Braurone ad promuntorium Sunium complecteretur. At huic obstare uidetur regio hoc tempore *Μεσόγια* a Graecis recentioribus appellata, »quae a planitie Athenarum Hymetto monte separata septentrionem uersus ad Brilessum siue montem Pentelensem, orientem meridiemque uersus ad Paraliae colles pertineat.«[1]) Atque hic Sauppe l. d. pagi Batae situm fuisse statuit, Mesogaeos autem circa Cytherum, unam ex antiquis illis duodecim urbibus, habitasse, id quod locus, ubi lapis inuentus sit, tria stadia ab urbe remotus in uia quae Acharnas ducat probare uideatur. Hoc tamen argumentum de loco, in quo lapides inuenti sint, cauendum est, ne nimis prematur, cum haud raro ex uno ad alterum locum longe remotissimum translatos esse lapides constet. Curtius contra duas sententias inter se conciliare studens mesogaeam omnino »totum interiorem Atticae tractum fuisse putat, quousque neque mari adluatur neque Parnethe et Brilesso obsita sit, usque ad Aegalei colles, ad utramque montis Hymetti partem« (p. 5); tum statuit (p. 6) quatuor pagorum

1) Verba sunt Ernesti Curtii (Inscriptiones XII. Atticae p. 4.)

societatem in Mesogaea ad sacra communiter obeunda fuisse institutam. Id certe constare uidetur, ueterem istam distributionem etiam tertio saeculo ante Chr. natum in rebus sacris perficiendis mansisse; et quamquam dissentio a Sauppio, qui l. d. coniecit, totam Atticam ad Herculis cultum obeundum in quasdam regiones distributam fuisse, tamen, si etiam sacra Epacriae communia, de quibus infra agemus, cogitatione complexi erimus (C. I. G. I n. 82), hoc negare non poterimus, ex antiquissima illa aetate, qua Attica tripertita fuerit, sacra quaedam usque ad tempora posteriora eodem modo quo antea culta fuisse; unde ut pertinacia hominum in rebus diuinis colendis, quas summa religione obseruant, optime intellegitur, sic antiquitas cultus Herculi ea regione instituti necessario demonstratur. Videmus autem ex hoc titulo, satis ampla fuisse Herculis solemnia, quae quotannis acta esse docet archon in annum electus. Puto autem ex unoquoque Mesogaeae pago paucos fuisse missos, qui pagi nomine Herculi sacrificarent; tum pompam Herculi institutam fuisse epulasque ei adornatas, non minus autem sacrificantibus, quibus archon carnem uinumque distribuebat. Tales epulas inprimis in cultu Herculis Attici haud raras fuisse docet Aristophanis comoedia Daetalenses, cuius scaenam in templo Herculis fuisse Bergkius probabiliter ex Orionis loco p. 49, 8 statuit (cf. Mein. Com. Gr. II, 2. p. 1020 sq.). Videmus deinde, cum hoc solemni coniunctum fuisse mercatum, eos autem qui ibi merces proposuerint, templo tributum soluere debuisse, unde archontem, qui rei sacrae praepositus fuerit, ex Curtii probabili sententia ea quae in sumptus necessarios inpensa fuerint soluisse, reliquam uero pecuniam inter paganos distribuisse. Vtrum templum Batae in pago fuerit necne, nescimus, neque ad hanc rem definiendam ualet id, quod et is qui legem fert et is qui corona honoratur, ambo ex pago Bate oriundi sunt.

Accedamus deinde ad alterum titulum (C. I. G. I n. 82), in cuius priore parte sumptus, quos pagus Plotheensium in

II² 1172

sacra inpenderit, enumerantur, altera de administrandis pecuniis decretum editur. Ex hac parte perspicitur, pagum praeter sua ipsius sacra etiam contulisse ad sacra Atheniensium et Epacrensium. uerba quae huc faciunt, haec sunt [1]:

l. 23. *ἀπὸ δὲ τοῖ τόκου καὶ τῶν μισθώσεων — | — | θύειν τὰ ἱερὰ τά τε ἐς Πλωθεῖ[ς κ]οινὰ καὶ τὰ ἐς | Ἀθηναίους ὑπὲρ Πλ[ωθέ]ων τοῦ κοινοῦ· καὶ τὰ ἐς τὰς | πεντετ[ηρί]δας καὶ ἐς τἆλλα ἱερά, ὅποι ἂν δέ[η Π]λω-|θέας ἅπαντας τελεῖν ἀργύρι[ον ἐς] ἱερὰ ἢ ἐς | Ἐπακρέα[ς ἢ ἐς Ἀ]θηναίους, ἐκ τοῦ κοινοῦ τοὺς ἄρχο[ντας] | οἳ ἂν ἄρχωσι τοῦ ἀργυρίου τοῦ ἐς τὴ[ν ἀτέλ]ειαν, τελεῖν | ὑπὲρ τῶν δημοτῶν· [καὶ] ἐς τὰ ἱερὰ τὰ κοινά, ἐν ὅσοισιν ἑ[στιῶν]ται Πλωθῆς, οἶνον παρέχειν ἡδὺ[ν ἐκ τοῦ | κ]οινοῦ ἐς μὲν τὰ ἄλλα ἱερὰ μέχρ[ι*
l. 37. *χοῶς] ἑκάστῳ τοῖς | παροῦσι Πλωθ[εῦσι* ..... Ex priore parte haec tantum restant:

παρ]άλαια ...
δημ]άρχω Χ
τα]μίαις ἐς τὰ δι' ἔτους ἱερὰ 𐅇
ἐς] τὸ Ἡράκλειον 𐅇ΧΧ
ἐ]ς Ἀφροδίσια ΧΗΗ
ἐ]ς Ἀνάκια ΧΗΗ
ἐ]ς τὴν ἀτέλειαν 𐅇
ἐ]ς Ἀπολλώνια ΧΗΗ
ἐς] Πάνδια [𐅅]*Η*
Μι]σθώσεων ΗΔΔΔ⊢⊢⊢⊢IIC

---

1) Vtor emendatiore forma huius tituli, quam exhibuit Sauppe Rh. M. N. F. IV. p. 288, a Boeckhio probata (Staatsh. I. p. 295. n. 6). Mommsen. (Heortol. p. 60 not.) *τῇ Πανδίᾳ* scribi uolt et solemne deae, quae in hymno Hom. XXIII, 15 lunae filia appellatur (cf. Baumeister p. 368 Stark. ad Herm. G. A. § 59, 5), Plotheae in pago institutum intellegi. Contra hanc sententiam iam ordo solemnium enumeratorum faceret; accedit quod articulus *τῇ* h. l. usurpatus aliquid habet inconcinni. Denique solemne deae Pandiae non *Πάνδια* sed fortasse *Πανδιαῖα* nominatum esse ueri simile est. Sed cum nomen *Πάνδια* de solemni Athenis acto constat, quod ad Iouem Welckerus G. G. I, 209 pertinere suo iure putat, illud h. l. intellegendum est.

Plothea haud procul ab Epacria aberat; cum autem Semachidenses (cf. Steph. Byz. s. u.) auctore Philochoro ad Epacriam pertinerent, et Plotheenses ad tot sacra summas erogarent, Boeckhius putauit eos communiter cum Epacrensibus Semachidensibus et uno praeterea pluribusue pagis sacra coluisse. Equidem arbitror, rem haud ita diuersam esse a titulo modo tractato; Plotheenses ipsi per se sacra habebant, tum communiter participes erant sacrorum a tota Epacria cultorum, praeterea ad ea sacra, quae publice in urbe acta sunt, conferebant, uelut ad Anacea in Academia habita (cf. Boetticher., Philol. suppl. uol. III. p. 341) et ad penteteridas; tum a quorundam sacrorum communione pecunia se exsoluebant (cf. Boeckh. ad C. I. n. 82. p. 122). Iam si singulas res enumeratas spectamus, Heracleum ab eis, quae tum nominantur, satis diuersum est, cum addito articulo qui a reliquis abest et numero singulari, tum summa multo maiore. Septem enim milia drachmarum ad Heracleum inpendebantur, in Aphrodisia Anacea Apollonia singula milia et ducenae, in Pandia sexcentae. Hoc mihi significare uidetur, Heracleum aut Plotheensium proprium fuisse, id quod articulus bene exprimeret, aut certe in eorum pago situm simul ad Epacrenses pertinuisse; tum sequerentur solemnia partim alia in regione Epacriae, partim in urbe ipsa acta. Aliter Lenormant. (Rech. arch. à Eleusis p. 242) hanc summam ad Heracleum Marathonium a Plotheensibus inpensam esse pronuntiauit, nullis quidem additis argumentis [1]).

Valde lacunosus est titulus (editus Eph. Arch. n. 3663 et *Ἐπιγρ. Ἑλλην. ἀνέκδοτοι φυλλάδιον α. ἐν Ἀθήναις* 1860 p. 7, n. 8), in quo quae manca sunt, pleraque ingenio Keilii restituta sunt, qui singula accuratissime tractauit. (Philol. XXIII, p. 446 sq.) uerba haec sunt — — — — — — *στεφα-*]

νῶσαι αὐ[τ]ὸ[ν θαλλοῦ στεφάνῳ, μετα-

---

1) Où ils font une offrande à un Heracléum lequel doit être celui de Marathon.

διδόναι δὲ α[ὐτῷ τόν τε δήμαρχον
καὶ τοὺς ἱερομ[νήμονας τοὺς ἀεὶ
καθισταμένους τῶν Χολαργεῦσι κ
οινῶν ἁπάντων καὶ απο ....
φοραν. ἀναγράψαι δὲ τόδε τὸ ψήφ[ι
σμα ἐν στήλῃι λιθίνῃι καὶ στῆσα[ι
ἐν τῶι Ἡρακλέωι τῶι ἐν κύκλωι ἐν
Χολαργέων.

Quis corona ornetur, unusne an duo, non apparet; uidetur similiter atque in Mesogaeorum decreto aliquis honorari, qui de Herculis cultu bene meruit. Rursus hic hieromnemones, qui sacri aerarii curam habent, occurrunt nobis, ut in titulo supra tractato qui ex Alopeca ortus ad Cynosarges pertinet. Quid *κύκλος* Cholargensium sit, nescimus. Keilio locus ita nominatus uidetur in pago, non tamen fori aliqua pars *κύκλοι* appellata, ubi uasa uendebantur (cf. Poll. X, 19 al. loci ap. Bursian., Geogr. v. Gr. I, 280 n. 2), id quod Pittakis proposuit.

Exstant praeterea complures inscriptiones, in quibus inter alias res Mineruae proprias in arce Athenarum asseruatas a quaestoribus Mineruae res a prioribus acceptas recensentibus memoratur res sacra Herculis cuiusdam *ἐν Ελαει*. Atque initio Boeckh. C. I. G. I n. 139 l. 6. legerat *ΕΛΑΙΣΙ* et proposuerat *ΕΙ ΛΙΣΙ*, sed in lapidibus postea inuentis clarissime apparebat nomen *Ελαει*, uelut apud Rang. ant. h. I. p. 124. n. 109, 22

[*καρχήσιον χρυσοῦν τὸν πυθμένα ὑπάργυρο* |
ν ἔχον ἱερον τοῦ Ἡρακλέος το εν Ελαει σταθμὸν τούτου ΗΔΔΔΓ⊦⊦⊦. cf. praeterea tituli, ubi plus minus lacunae sunt facile supplendae, cum omnes de eadem re agant. Rang. ant. hell. I. N. 106. p. 116. l. 10. N. 108. l. 5. 109. l. 1. (Arch. Eph. 1837—39. p. 42. l. 6 et 7 *τὸν ..... ὑπάργ|υρον ἔχον ἱερὸν τοῦ Ἡρακλέους τοῦ ἐν [Ἐγ]αῖσι σταθμὸν τούτου· | ⊦⊦*, eadem l. 33; eadem n. 499, ubi lacuna suppleta est uoce *πυθμένα*). Suspectus est mihi titulus

editus a Pittakis, qui ab eis, quos modo exscripsi, et quos prorsus eandem rem tractare perspicuum est, mirum quantum abhorret. Nam Arch. Eph. 1839—41. p. 236 exstat: *τὸν χαλεινὸν ὑπάργυρον ἔχον ἱερὸν τοῦ Ἡρακλέους τοῦ ἐν Ἐγαῖσι*. Puto uocabulum *χαλεινὸν* ab eo coniectura introductum esse, cum praeterea numquam inueniatur. Rangabé titulos ab ipso editos ad Ol. 89—91 referendos esse putat; etiam alios titulos, in quibus eadem res legitur, uide apud Boeckh. St. II. p. 152—171. Kirchhoff, Bem. z. d. Urk. d. Schatzm. d. and. Götter, titulum exhibet Ol. 86, 3 compositum, ubi eadem res Herculi sacra apparet. Sed quaeritur quomodo uox *Ελαει* explicanda sit. Rang. I, p. 391 cf. p. 155 a uocabulo *ἕλας* ducit, quod non diuersum esse censet ab *ἕλος*, nixus scriptura quae uno loco apparet *ΗΕΛΑΕΙ*. Cum Steph. Byz. s. u. *Ἐχελίδαι* pagum nominatum esse dicat *ἀπὸ ἕλους τόπου μεταξὺ ὄντος τοῦ Πειραιέως καὶ τοῦ τετρακώμου Ἡρακλείου*, ad hoc templum poculum illud referendum esse putat, quod, cum ibi ludi Panathenaici habiti fuerint, facile in thesaurum Mineruae transferri potuerit. Sed rectissime Boeckhius p. 166 *ἕλας* et *ἕλος* nullo modo idem esse posse ei obiecit, monuit praeterea aspirationem nihil probare, cum persaepe temere adici soleret, et nomen *ελαει* eodem modo quo pro *ἐλαία ἐλάα* dicatur, ad formam *ἐλαεὺς* pro *ἐλαιεὺς* reuocat. cf. Steph. Byz. s. u. *Ἐλαιεὺς* [1]). Haec sententia Boeckhii optime confirmatur titulo apud Rangabéium (II, p. 15. n. 371), ubi forma *Ἐλαιεῖ* in lapide apparet, neque ibi audiendus est Rangabé, qui sententiam suam mordicus tenens istam formam uitiosam habet.

Iam si causam circumspicimus, ex qua hic aureus scyphus, qui fundum habet argenteum auro inductum, in the-

---

1) *δῆμος τῆς Ἱπποθοωντίδος φυλῆς, ὡς Διονύσιος. Διόδωρος δ' Ἐλαιοῦς, ἀφ' οὗ ὁ δημότης Ἐλαιούσιος, τὰ τοπικὰ Ἐλαιουντόθεν καὶ Ἐλαιουντάδε καὶ Ἐλαιοῦσι. λέγεται δὲ καὶ ἐξ Ἐλαίεως*. Itaque duae nominis formae usitatae erant.

saurum Mineruae uenerit, Gurlittius »dona huius templi in Acropoli asseruari« ait p. 43 n. 9.[1]) Similiter autem Iouis Poliei scyphus aureus in hecatompedo asseruatur testimonio titulorum[2]); eius enim sedes ipsa in arce fuit (cf. O. Jahn, Nuov. Memorie p. 3. 7). Etiam Dianae Brauroniae opes in templo Mineruae asseruabantur (cf. Boeckh. Staatsh. I² p. 220) neque hoc mirandum est, cum sacrum deae Brauroniae in arce fuerit (Paus. I, 23, 9). Et similiter res habere se debet in Hercule illo Elaeensi; fortasse cultus ei in pago Elaeensi habitus aliquam ob causam (suspicari licet templum esse igni deletum) sublatus est et scyphus ille ut Herculi proprius ex eo tempore in arce asseruari debebat.

Porro in pago Halimunte, qui ad tribum Leontidem pertinebat, Herculis fuisse templum perspicitur, ex Demosthenis oratione contra Eubulidem § 46 p. 1313, ubi Herculis sacerdos Halimuntius haec uerba facit: *λοιπὸν δέ μοι περὶ ἐμαυτοῦ πρὸς ὑμᾶς εἰπεῖν τὸ μὲν ἁπλούστατον· οἶμαι καὶ δικαιότατον ἐξ ἀμφοτέρων ἀστῶν ὄντα με κεκληρονομηκότα καὶ τῆς οὐσίας καὶ τοῦ γένους εἶναι πολίτην οὐ μὴν, ἀλλὰ καὶ τὰ προςήκοντα πάντα ἐπιδείξω, ὡς εἰςήχθην εἰς τοὺς φράτορας, ὡς ἐνεγράφην εἰς τοὺς δημότας, ὡς ὑπ' αὐτῶν τούτων προεκρίθην ἐν τοῖς εὐγενεστάτοις κληροῦσθαι τῆς ἱερωσύνης τῷ Ἡρακλεῖ.* Sorte igitur ibi electi sunt sacerdotes cf. Meier. de gent. Att. p. 31.

Diogeni deinde Laertio notitiam debemus in uita Platon. III, 41. exstitisse in pago Iphistiadensium[3]) templum

---

1) Gurlitt, qui Rangabéium secutus templum Herculis in tetracomia intellegit, ignorasse uidetur Boeckhii locum p. 166, ubi post Rangabéium de ea re agit. Quem si nosset, non scripsisset »Boeckh. Staatshaush. d. Ath. II. p. 152. 160. 171. Beil. X. et fusius (!) Rang. ant. hell. I. p. 155.«

2) cf. Boeckh. St. II. p. 183 A. 7. 182 C. 18. 184 B. 16. 185 C. 28. 39 *καρχήσιον χρυσοῦν Διὸς Πολιῶς.*

3) Haec forma lapidum testimonio commendatur cf Ross, Dem. p. 74. Keil, Phil. XXIII. p. 251 sq.

Herculis una cum Volcani sacro: *τὸ ἐν Ἡφαιστιαδῶν χωρίον, ᾧ γείτων βορρᾶθεν ἡ ὁδὸς ἡ ἐκ τοῦ Κηφησιᾶσιν ἱεροῦ, νοτόθεν τὸ Ἡράκλειον τὸ ἐν Ἡφαιστιαδῶν.* Sed ut Pausan. I, 31, 1 in pago Halimunte sacrum Cereris et Proserpinae adfert, Herculis templo non memorato, sic Steph. Byz. s. u. *Ἡφαιστιάδαι* Volcani sacrum ut isti pago proprium nominat, Herculem praeteriit; unde concludere possumus, non ita magna fuisse ista sacra. Tamen reliquiae templi Iphistiadensium seruatae manserunt in hodierno nomine uici eius regionis, quod est *Ἀρακλί* uel *Ἡράκλι* cf. Bursian. Geogr. v. Gr. I, p. 344. Keil. Philol. XXIII, p. 251.

Optimo uero iure ambigitur, num nouum Herculis templum concludere debeamus e loco Luciani (Deorum cont. 7), ubi haec habemus: *καὶ τὸ πρᾶγμα γελοιότατόν ἐστιν, ὁπόταν τις ἄφνω ἀκούσῃ ὅτι ὁ Ἡρακλῆς μὲν θεὸς ἀπεδείχθη, ὁ δὲ Εὐρυσθεὺς ὃς ἐπέταττεν αὐτῷ τέθνηκε καὶ πλησίον Ἡρακλέους νεὼς οἰκέτου ὄντος καὶ Εὐρυσθέως τάφος τοῦ δεσπότου αὐτοῦ.* De hac re dubitanter egit L. Ross. das Theseion u. d. T. d. Ares p. 20 n. 60. Eurysthei corpus prope Gargettum sepultum fuisse discimus ex Strabone VIII, p. 377 et Steph. Byz. s. u. *Γαργηττός*: *ἐνταῦθά φασι τὸ τοῦ Εὐρυσθέως κεῖσθαι σῶμα.* Atque ex Atticorum fabula ante templum Mineruae Pallenidis (Pallene enim et Gargettus pagi quam proxime inter se afuisse uidentur in occidentali radice Brilessi montis siti) sepulcrum fuit, ut Eurystheus ipse ap. Eur. Heracl. 1030 sq. dicit:

θανόντα γάρ με θάψαθ' οὗ τὸ μόρσιμον,
δίας πάροιθε παρθένου Παλληνίδος.

Cf. Müller. Dor. I, p. 54 sq. Itaque Pallenae siue Gargetti templum Herculis statuere possit aliquis haud longe ab Eurysthei sepulcro afuisse, quamquam periculosum est, e loco rhetoris, cuius quam maximum interest res acerrime inter se oppositas cumulare, hac de re certam facere conclusionem. Ac parasiti Pallenenses (Ath. VI, p. 235 A) sane templo Mineruae adscribendi sunt cf. Kampen. p. 43 sq.

At fortasse huic sententiae succurrit significatio tituli cuiusdam (CIG I. n. 523), qui Boeckhio non recentior Hadriano uidetur, ubi una cum haud paucis aliis deis Hercules nominatur, quibus sacra facienda sint. Ibi de eo l. 26—29 haec leguntur

Μουνυχιῶνος β' ἀπιόντος Ἡ[ρα |
κλεῖ καὶ θείῳ ἀλέκτορας πόπανον χοίνικος δωδεκόμφαλ[ον] |
ὀρθόνφαλο[ν ἀνυπερθέτως

In aliquo igitur Herculis solemni uicesimo nono die Munychionis sacrificium offerebatur, quod e gallis et placenta constabat e choenica farris composita cum umbone erecto et duodecim instructa umbonibus, *Ἡρακλεῖ καὶ θείῳ*. Haec uerba sane mirabilia ad Herculem et Eurystheum, qui Alcumenae frater patruelis fuit, Boeckhio referenda uidebantur, neque, si lectio uere traditur, quidquam contra hanc explicationem proferri potest. Si autem ad hunc Luciani locum respicimus, aliquo modo obscuram Eurysthei significationem explicare possumus. Herculi, qui Gargetti Pallenaeue templum habebat, sacrificabatur et quia Eurystheus haud longe a fano sepultus erat, etiam illi ob cognationem Herculis; nomen tamen euitabatur ob inimicitiam, quam dum uiuebat erga Atticam ostendit. Ita etiam Aexonenses Alcumenam una cum Iuuenta coluerunt (CI. n. 93. 214). Quamquam certi hac de re nihil proferri potest. Nimis tamen audacter egit Gurlitt. p. 30, qui Eurystheum in Titanum numero haberi iubet.

Iam postquam omnia Herculis sacra, quae in urbe agrisque exstiterunt, enumerauimus, ad locum Demosthenis (de falsa legat. 86 p. 368 et 125 p. 379 [1]) accedamus. Nar-

---

1) Ib. p. 368. *ἵν' εἰδῆτε ὅτι — παῖδας καὶ γυναῖκας ἐκ τῶν ἀγρῶν κατεκομίζεσθε καὶ τὰ Ἡράκλεια ἐντὸς τείχους θύειν ἐψηφίζεσθε.* 125 p. 379 *ταῦτ' ἀκούσαντες — αὐτοὶ ἐξεπέπληχθε καὶ παῖδας καὶ γυναῖκας ἐκ τῶν ἀγρῶν κατακομίζειν ἐφηρίζεσθε καὶ τὰ φρούρια ἐπισκευάζειν καὶ τὸν Πειραιᾶ τειχίζειν καὶ τὰ Ἡράκλεια ἐν ἄστει θύειν.*

rat orator, Athenienses anno 346 perterrefactos nuntio de Phocis a Philippo subiectis accepto sibique ipsos timentes auctore Callisthene decreuisse liberos uxoresque ex agris in urbem transportare, uigilias in castellis diligentius disponere, Piraeum muro circumdare, Herculis solemnia in urbe agere. Haec lex lata est uicesimo septimo die mensis Scirophorionis[1]) cf. § 60 p. 360 A. Aliquo tempore post Athenienses legatorum suorum relationibus certiores facti, Philippum nihil contra ipsos moliri, conquieuerunt; ipse tandem Philippus epistula missa se purgare studuit; ira tamen Atheniensium placata non erat; Pythia solemnia, ad quae semper splendidissimam theoriam mittere consueti erant, hoc anno celebrare recusauerunt, ne Philippi facinora scelesta comprobare uiderentur. Iam Kirchhoff. (Monatsber. d. Akad. d. Wiss. z. Berlin 1864 p. 129) ex duabus inscriptionibus Delphicis (CIG 1688. Wescher. et Foucart. n. 410) demonstrauit, Pythia mense Bucatio, qui Attico Metageitnioni responderet, esse celebrata, non ut antea opinio erat Boedromione, et septimo quidem mensis die. Itaque Heraclea illa inter ultimos Scirophorionis et primos Metageitnionis dies acta esse debent. Iam quaeritur quaenam Heraclea intellegenda sint. Atque iam ueteres dubitauerunt, cf. Photius Suidas Harpocrat.[2]). Hi igitur optionem dant inter Diomeia et Marathonia solemnia, quae celeberrima omnium fuisse

---

1) Prorsus errauit Fritzsche l. d. p. 26. n. 11, dicens Callisthenis psephisma mense Maemacterione latum esse. »uide, inquit ibid. § 37 6.« Sed non ibidem, uerum in Orat. de Corona, ubi is mensis in lege subditicia perperam commemoratur p. 238 A.

2) s. u. *Ἡράκλεια. Δημοσθένης ἐν τῷ κατ' Αἰσχίνου. πολλῶν ὄντων τῶν κατὰ τὴν Ἀττικὴν Ἡρακλείων νῦν ἂν ὁ Δημοσθένης μνημονεύοι ἤτοι τῶν ἐν Μαραθῶνι ἢ τῶν ἐν Κυνοσάργει· ταῦτα γὰρ μάλιστα διὰ τιμῆς εἶχον* (Phot. et Suid. *ἦγον*) *Ἀθηναῖοι.* et schol. bauaric. §. 86. *πόλις ἐν τῷ Πόντῳ, ἢ τὰ ἐν Μαραθῶνι ἢ ἐν τῷ Κυνοσάργει.*

ex eis quae supra exposui patet. Corsini,[1]) qui in fastis Atticis II, 335 primus de hoc loco egit, de Diomeis cogitari uolt; eius sententiam sequitur Kock. in adnotat. ad Aristoph. Ran. 651, Fritzsche quoque de Ar. Daet. p. 26 huic sententiae adstipulatur, cum dicat, »uerba illa ἐντὸς τείχους uel ἐν ἄστει θύειν quae recepto mori contraria ponantur, in Cynosarges locum suburbanum egregie conuenire, a Marathone remotissimo pago prorsus abhorrere.« Hoc argumentum non uideo quid ualeat. Sed si recte supra de Boetticheri anaglyphi illius explicatione iudicaui, de Diomeensibus hoc loco sermo esse non potest, quippe quae ad principium Pyanopsionis referenda sint. Aliam sententiam proposuit Boekneke, Forschungen a. d. Geb. d. att. R. I, 655, qui Fr. Vaterum secutus gymnicos illos ludos intellegi uoluit, qui in Panathenaeis, ut supra uidimus, in pago Echelidensium habebantur ultimis Hecatombaeonis diebus; hanc sententiam adprobabat Arnoldus Schaefer., Demosthen. u. s. Z. II, p. 276, n. 1. Sed uir ille doctissimus mihi nuper humanissime in conloquio affirmauit, se sententiam istam dereliquisse. Ex eis enim, quae supra adtuli, apparebat, hos ludos Panathenaicos, quia in urbe ipsa spatium idoneum non erat, in hoc hippodromo Herculi ut uidetur proprio actos esse, neque praeterea ullam cum Hercule rem habere, quare nullo modo Heraclea appellari potuisse. Quae cum ita sint ad id solemne, quod priore loco grammatici nominant, redire malim, ad Heraclea Marathonia. Ea celeberrima fuisse et splendidissime acta esse supra uidimus; accedit, quod grauissimum erat periculum, ne omnibus ex partibus Atticae homines Marathonem confluentes subitario quodam Philippi inpetu opprimerentur. Quae si recte disputata sunt, etiam longius progresso statuere licet, quarto Hecatombaeonis die

1) Prorsus non assequor quid uoluerit Gurlitt. p. 45 Corsinio crimini uertens, quod Ἡράκλεια τὰ (sic!) ἐν ἄστει confuderit cum Diomeis.

haec solemnia acta esse.[1]) Sed accedit locus Pollucis VIII, 9, 107, qui dignus est qui accuratius inspiciatur: *δέκα ὄντες οὗτοι οἱ ἱεροποιοὶ ἔθυον τὰς πενταετηρίδας, τὴν εἰς Δῆλον, τὴν ἐν Βραυρῶνι, τὴν Ἡρακλείων* (ll. *Ἡρακλειδῶν*), *τὴν Ἐλευσίναδε.*[2]) Iam si singula solemnia spectamus, ad quae hi uiri sacrorum faciendorum causa publice mittebantur, Attica sunt exceptis Deliacis; per se patet, ea loca satis ab urbe remota fuisse, itaque, si quaerimus quaenam Heraclea intellegenda sint, mihi dubium non est, quin Marathonia sumenda sint. Haec enim antiquissimo tempore instituta uidentur similemque gloriam habuisse quam ceterae Graecorum panegyres, itaque Athenienses, cum in urbe omnium in agris sacrorum publica cura haberetur, etiam ad Marathonia, quae celebriora erant quam quae tolli siue transferri possent, publice decemuiros istos sacrorum delegabant, qui urbis nomine sacra ibi facerent. Quae coniectura si non omni fundamento caret, quarto quoque anno celebrata fuisse Heraclea Marathonia et tertio quidem Olympiadis anno, eodem quo Panathenaeorum et Pythiorum solemnia, sequitur.

Supra, cum de Hercule Melitensi ageremus, uidimus, illi loco arietis bouisue malum oblatum fuisse. Ac bouem

---

1) Corsinii uerba »dubitari certe non poterit, quin Herculana exeunte mense Scirophorione celebrata sint« et eius tabulam p. 386 secutus, is qui in tabula libro Luebkeri (Reall. d. cl. A.) annexa Graecorum fastorum conspectum confecit, die 28 mensis Scirophorionis, qui quidem statim contionem insecutus est, Heraclea celebrata fuisse constituit.

2) His coniungenda sunt, quae in Etym. M. u. *Ἱεροποιοί* exstant, *κληρωτοὶ ἄρχοντές εἰσι δέκα τὸν ἀριθμὸν οἳ τά τε μαντεύματα ἱεροθετοῦσι κἄν τι καλλιερῆσαι δέῃ, καλλιεροῦσι μετὰ τῶν μάντεων καὶ θυσίας τὰς νομιζομένας ἐπιτελοῦσι καὶ τὰς πενταετηρίδας ἁπάσας πλὴν Παναθηναίων. Ταῦτα Ἀριστοτέλης ἱστορεῖ ἐν τῇ Ἀθηναίων πολιτείᾳ.* et q. s. (cf. Bekk. An. I. lex. rhet. 265 et Photius s. u., qui *ἱεροθυτοῦσι* habent). M. FHG II, p. 120 fr. 47 a. Hermann., G. A. §. 62. 11. 13.

Athenis Herculi mactatum fuisse edocet nos Theophrastus (charact. c. 27), cum sedulitatem quae praeter aetatem fit (ὀψιμαθίαν) castiget. Verba solum in Palatino codice exstant: *ἀμέλει δὲ κἂν που κληθῇ εἰς Ἡράκλειον*[1]) *ῥίψας τὸ ἱμάτιον τὸν βοῦν αἱρεῖσθαι, ἵνα τραχηλίσῃ.* Putat autem Vssingius aliique ante eum editores, Athenienses boues non solum sacrificasse Herculi, sed etiam luctationem quandam instituisse cum boue mactando ad similitudinem domiti tauri Cretensis, id quod mihi secus uidetur. Qui enim bouem mactare uolt, eum capessere et obtorto collo trahere debet. Talis autem similitudo omnino sensum non habet.

Iam numi Attici restant, in quibus Herculis imago expressa est. Sic describitur apud Mionnet. Suppl. III, 581. 335 numus, ubi in priore parte effigies pectore tenus efficta est Mineruae galea indutae et aegide, in posteriore Hercules nudus, barbatus, stans eodem modo quo Farnesianus, repraesentatus est. Ib. 336, ubi in priore numi parte caput Mineruae galea armatae exstat, in posteriore Hercules dextera in dorso posita malum tenente, laeua clauae, quae in rupe posita est, innixa, pelle leonina indutus. Conferri iubet Mionnet Haymann., Thes. Britann. I, p. 190, tab. XVI. N. 9. Atque ut his addamus Beuléi copiam (monn. d. Ath.), u. d. p. 221 compluria adfert tetradrachma et drachmas sub magistratu Aristophontis et Heraclidae procusa, in quibus arcus pharetra claua, arma Herculi propria efficta sunt, ut Beuléio uidetur lusu quodam propter nominis *Ἡρακλείδης* cum dei nomine similitudinem addita. Similiter (p. 162) in tetradrachmo claua sola, in numis duobus aeneis in alterius parte priore claua pone caput efficta est, in parte auersa iterum addita est litteris *ΑΘΗ*, in altera claua item pone caput exstat, in parte auersa porcus, quo procul dubio ad Hercu-

1) Sic accentus esse debet, non *Ἡρακλεῖον*. Cf. Et. M. p. 436, 20 s. u. *Ἡράκλεις, ἀπὸ τοῦ Ἡρακλῆς γίνεται Ἡράκλειος κτητικὸν ὥσπερ Σοφοκλῆς Σοφόκλειος.*

lem rem spectare apparet (cf. Welcker. G.G. II, 787, n. 129). Non recte in alia numorum serie, qui tyrannicidos exhibent, Beuléius de Theseo et Hercule cogitari uolt p. 335. Denique ex aetate imperatoria tres numos aeneos adlegat, in quorum primo Hercules simili habitu atque in Glyconis statua effictus est pelle leonina bracchio sinistro circumuoluta, innixus clauae, dextra pomum tenens, in altero dextra clauam tenet, sinistra cornu abundantiae. Dubito autem de tertio, in quo Beuléius uirum, qui longa ueste indutus clauam cornuque abundantiae tenet, Herculem habet mysteriis initiatum, et satius esse puto de hoc numo iudicium cohibere. [1])

1) Denique breuiter eas inscriptiones Atticas uideamus, in quibus Hercules memoratur. Sacerdotis Herculis mentio fit in titulo uersibus composito (Philistor I. p. 428):

Εἰκόνα κοσμητοῦ | Ἑρμείου παῖς Θεόδωρος |
Ἡρακλέους ἱερῆος | ἀνέστησεν σὺν ἐφήβοις..

Alius sacerdos apud Rangabéium II, 757. n. 1123 adfertur nomine non addito. Cf. Keil. Philol. XXIII, p. 254. Hic duos titulos mutilos (Eph. Arch. n. 2136 et 3436) exhibet, ubi aliquid Herculi dedicatur, tum fragmentum miserrime corruptum (ib. p. 254. Eph. Arch. 4070), unde reliquiae uocabuli *Ἡράκλειον* apparent. Paullo maioris fructus sunt qui secuntur. Hercules una cum Mercurio in titulo (C. I. n. 250) munere praesidis certaminum fungitur, ut hi duo gymnasiis praeesse solebant; facem dedicat quis:

Ἆθλα τὰ τῆς νίκης Ὡράριος Ἡρα[κλεώτης
Λαμπάδας Ἑρμείᾳ θῆκε καὶ Ἡράκλεϊ.

nequem inus docet anaglyphum marmorum Oxoniensium cum inscriptione (ib. n. 271), Herculem in palaestris ab Atheniensibus cultum fuisse. Ibi, ut Boeckhii uerbis utar, Hercules repraesentatur, qui pelli leoninae incumbens sub arbore sedet, ex qua arcus et pharetra suspensa, claua eidem adposita. Verba inscriptionis exscribere non adtinet. Similiter aliud anaglyphum Herculem exhibet, qui scyphum manibus tenens in pelle leonina recumbit, cum inscriptione satis lacunosa. Haud raro honoris causa Herculis nomen humanis nominibus additur (cf. Keil. l. d. p. 255) in titulis epheborum secundo p. Chr. saeculo ortis. Philist. III. p. 281 *τῷ Ἡρακλεῖ | Λεωνίδῃ* et p. 282

II.

Iam transeamus ad fabulas, quae in Attica de Hercule circumferebantur, praecipue a poetis tragicis excultas, ab Athidum scriptoribus conlectas. Et horum quidem scriptorum cum paucissima tantum exstent fragmenta nominatim ex iis adlata, commodissime haec lacuna expletur Plutarchi uita Thesei, in qua scriptor cum poetas aliosque antiquiores auctores tum praesertim Atthidum scriptores in suum usum conuertisse putandus est. Hoc apparebit, si auctores, quos ipse nominat, sub conspectum conloco. Quodsi praetermitto una cum poetis alios, quos in transcursu plerumque ad rem quandam singularem testes excitat, uelut Menecratem (c. 26) Bionem Proconnesium (16), Heream Megarensem (20 et 31) Dicaearchum (21. 22), Paeonem Amathusium (20), adfert cum antiquiores Hellanicum (c. 17. 25. 26. 31), Pherecydem (c. 19. 26) Herodorum Heracleensem, qui scripsit *τὸν καθ' Ἡρακλέα λόγον* (M. FHG II, p. 27 sq. c. 26. 29. 30), Aristotelem (c. 16. 25), tum Atthidum scriptores, Clidemum (19. 27), Demonem (19. 23) Andronem Halicarnassensem (c. 25) ac praecipue Philochorum (c. 14. 16. 17. 19. 26. 35). Ac fortasse non omnes, quorum uerba exscripsit, ipse legit, sed sententias eorum aliis in scriptis enarratas uel refutatas inuenit. Hoc autem tenendum esse puto, eum tum tantum

---

τῷ Ἡρακλεῖ Ἀπελλᾷ ib. *τῷ Ἡρακλεῖ Ἀλεξάνδρῳ* p. 283 *τῷ Ἡρακλεῖ Νίγερι*, ita etiam id quod saepius (C. I. n. 246. Philist. III, 282. IV, 272) inuenitur *Συμφέροντι Ἡρακλεῖ*, quam Boeckh. dedicationis formulam habuit, explicandum est. *Συμφέρων* enim nomen proprium est cf. Keilii exempla. Aut coniungitur is qui honorandus est, cum Hercule Phil. IV. p. 459: *τῷ Ἡρακλεῖ καὶ εὐρύθμῳ Γαύρῳ, τῷ Ἡρακλεῖ νεανισκαρχήσαντι τρίτης τάξεως πάλης Λείῳ*. Agmen claudat titulus a Keilio sched. ep. p. 34 et a Rangabéio II, 716. n. 1001 editus ubi initio longae nominum seriei militum leguntur *Μενέλεως ἀρχηγέτης ἀντὶ- | Ἡρακλῆς ἀρχηγέτης ἀντὶ- | Διοσκόρω ἀντὶ Νικοστράτου*; hi igitur dei partes agere uidentur patronorum gentium.

Atthidum scriptores excitare, cum aut singularem aliorum opinionem impugnent aut ipsi nouam a prioribus discrepantem sententiam constituant; itaque ea quoque, quae auctoris nomine non addito tradit, ex Atthidum scriptoribus, qui ea in re consentirent, sumpsisse uidetur, id quod uocabulo *φασὶ* significat. Iam si hoc tenemus, consilium, quod Atthidum scriptores secuti sunt in scribendo, ex hac Plutarchi [1]) scriptione cognoscere licet. Nam ut rectissime nuper E. Curtius Boetticherum secutus Herculem Athenis semper peregrinum esse habitum affirmauit, sic Atticarum fabularum scriptores, quos tantae Dorici herois uenerationis ubique Atticae exstantis pigebat, quam maxime in eo studium conlocasse putandi sunt, ut Herculi quae fuissent detraherent et ad Theseum Ionicum heroem transferrent. Nec ii soli hoc faciebant, inprimis rhetores Athenienses cum Herculis damno Thesei gloriam in maius augere conabantur, uelut Menander (Walz. Rhet. Gr. IX, 244) Isocrati exprobrat: *καὶ γὰρ Ἰσοκράτης συγκρίνων Θησέα Ἡρακλεῖ ἐν οἷς μὲν εὗρεν αὐτὸν πλεονεκτοῦντα ἀντεξήτασεν, ἐν οἷς δὲ τὸν Ἡρακλέα ταῦτα ἐσίγησε.* Veteres autem Theseo in fabula artissimam intercessisse similitudinem cum Hercule perbene intellexerunt, unde illud prouerbium natum est de Theseo *ἄλλος οὗτος Ἡρακλῆς* [2]). Iam hoc Atthidum scriptorum consilium adhibitis ubi licet aliorum auctorum testimoniis ex hac Plutarchi uita uideamus. Ac narratur cap. 6 quanto Theseus adulescens flagrauerit desiderio res magnas bene gerendi, inprimis id agens, ut patriam a latronibus, qui

1) Singularem ediderat Plutarchus libellum de Hercule (c. 29 *γέγραπται ἐν τοῖς περὶ Ἡρακλέους.* Cf. A. Gellius I, 1), in quo se Herculem Graecum deum, non Phoenicum habere professus erat. Cf. Müller. Dor. II. p. 448.

2) Quamquam ab haud paucis non ad Theseum sed ad alios relatum est. Cf. Diogen. prov. I, 63. p. 190 ed. Gott. Stephani, Thes. u. d. Minot. p. 16 locos adlegans, Hes. s. u., *παροιμία ἐπὶ τῶν ἰσχυρῶν.*

passim uias infestarent, funditus purgaret; eo autem tempore, quo ille adulescentiam Troezene egisset, nefarios istos libere grassari potuisse, cum Hercules, qui antea eorum licentiam refrenasset, apud Omphalam reginam Lydiam seruili fungeretur ministerio; Herculis autem facinora Theseo narrata adulescenti somnos ademisse, non minus, ut addit Plutarchus sentiens unde hoc commentum ortum sit, quam postea Themistocli Miltiades laudes nocturnam quietem pessumdedisse. Eidem consilio inseruit fabula a Pausania I, 27, 7 ex Trozeniorum sermonibus relata, uenisse Herculem Troezena Pitthei uisendi causa; tum uero omnes pueros ob leoninam qua indutus esset pellem exterrefactos foras se proripuisse, unum tantum Theseum securim comparandi causa abiisse, ut redux factus leonem qui isti uideretur fortiter interimeret. Quis non statim meminit Achillis Scyri in insula inter puellas relati? Luculentum autem repugnantiae aduersus hanc Atticorum comminiscendi libidinem exemplum exhibet, cum dicat c. 30, negare Herodorum, celebrasse Theseum nuptias Pirithoi, in quibus rixa Lapitharum cum Centauris orta fuerit, sed potius Lapithis succurrisse bello cum Centauris exorto ac tum primum Trachine Herculem uidisse. Ex eis quae insecuntur recte C. Mueller. conclusit, nihil apud Herodorum dictum fuisse de Theseo ab Hercule ex inferis liberato. Cf. O. Mueller., Dorier I, p. 451; omnino ille Atticas fabulas repudiauit (Mueller. FHG II, p. 437). Etiam generis propinquitate ambos coniunctos fuisse demonstrare conabantur; (c. 7.) Aethra Thesei mater fuit Pitthei filia, Herculis mater Alcumena Lysidica, Pitthei sorore, prognata erat. Nomen matris Alcumenae Apollodorus bibl. II, 4, 5 Anaxo, Diodor. IV, 9. 1 Eurydica fuisse testatur; non nominatur ab Iolao, qui in Eur. Heracl. u. 207 sq. haec ait: (cf. Herc. fur. 1154).

Πιτθεὺς μέν ἐστι Πέλοπος, ἐκ δὲ Πιτθέως
Αἴθρα, πατὴρ δ' ἐκ τῆσδε γεννᾶται σέθεν
Θησεύς· πάλιν δὲ τῶνδ' ἄνειμί σοι γένος.

Ἡρακλέης ἦν Ζηνὸς Ἀλκμήνης τε παῖς,
κεινὴ δὲ Πέλοπος θυγατρός· ἐξανεψίω
πατὴρ ἂν εἴη σός τε χὠ τούτων γεγώς.

Simpliciter consobrinos eos dicit Isocrates Laud. Hel. 26. *ἐξ ἀδελφῶν γὰρ γεγονότες ὁ μὲν ἐκ Διὸς, ὁ δ' ἐκ Ποσειδῶνος ἀδελφὰς καὶ τὰς ἐπιθυμίας ἔσχον. Μόνοι γὰρ οὗτοι τῶν προγεγενημένων ὑπὲρ τοῦ βίου τοῦ τῶν ἀνθρώπων ἀθληταὶ κατέστησαν.* Omnino autem scriptores Attici ambos quam maxime inter se copulare studebant, cum alii multo rectius satis magnum tempus Theseum inter et Herculem interfuisse statuerent. Atque ut ipsum Thesei nomen docet non mythicae quaedam notiones proprie eius personae adhaerent, sed plurima certe mythica, quae in eo inueniuntur, posteriore tempore ex aliis in eum delata sunt; nomen enim, quod semper recte a uerbo *τιθέναι* deriuatum est,[1]) Theseum notat conditorem Atticae, qui uicos antea separatos in unam ciuitatem coalescere uoluit condita urbe Athenarum simulque communem deorum uenerationem instituere studuit. In eis autem, quae ad eum delata sunt, inprimis Herculis imitatio praeualuit. Herculis enim aemulus dicitur[2]). Sic Theseus eisdem atque Hercules armis usus est[3]), ut in artis quoque operibus Theseo uestitum inditum esse ex Herculis similitudine docet Stephani l. d. p. 45 sq. Non minus Hercule Theseus clauam (c. 8.) habet, sed, ne res omni discrimine careret, cum ille suam sibi ipse formasset, hic suam Peri-

---

1) Cf. Stephani l. d. p. 13.

2) Cf. Isocr. Hel. 26. *Κάλλιστον μὲν οὖν ἔχω περὶ Θησέως τοῦτο εἰπεῖν, ὅτι κατὰ τὸν αὐτὸν χρόνον Ἡρακλεῖ γενόμενος ἐνάμιλλον τὴν αὐτοῦ δόξαν πρὸς τὴν ἐκείνου κατέστησεν.* Diod. IV, 59. *διὰ τὸ τοῦτον ζηλωτὸν γενέσθαι τῶν Ἡρακλέους ἄθλων.* Lucian. Cynic. 13. *ὁ — Θησεὺς ὁ τούτου μαθητής* — (Herculis scil.) Clem. Alex. Strommateis 381 P. *Θησεὺς — ὁ Ἡρακλέους ζηλωτὴς ὤν.*

3) Cf. Isocr. Hel. 23. *οὐ γὰρ μόνον τοῖς ὅπλοις ἐκοσμήσαντο παραπλησίοις, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἐπιτηδεύμασιν ἐχρήσαντο τοῖς αὐτοῖς.*

phetae portento illi Epidaurico, quod ex ferrea claua κορύνη cognomen κορυνήτης accepisse ferebatur, detraxit. Semper eam, ut Hercules pellem leoninam, secum habebat, hic ut demonstraret, quantam bestiam deuicisset, ille ut ostenderet, clauam ab ipso uictam, una cum ipso inuictam esse. Eadem ratione Theseus scelestos latrones interficit, qua isti in alios usi sunt, ἔπραττε δὲ ταῦτα, ut Plutarchus c. 11. dicit, μιμούμενος τὸν Ἡρακλέα. Porro, ut Hercules saepissime patre deuicto filiae amorem sibi conciliat, sic Theseus Pityocampte superato cum filia Erigona concubuit, ex qua filium Melanippum procreauit. Hercules Ioui ludos Olympios condidisse fertur, sic Theseus aemulatione scilicet Herculis ductus in Isthmo ludos Isthmicos Neptuno instituit, qui antea in honorem Melicertae, qui deus Phoenicius mihi procul dubio introductus uidetur a Cretensibus, solemnibus nocturnis iisque caerimoniarum plenis celebrabantur. (c. 25.) Primus autem in ludis Olympiis Hercules cum Theseo luctatus esse dicebatur; sed cum neuter alterum superare posset, de Theseo dictum fuisse illud ἄλλος οὗτος Ἡρακλῆς testatur Ptolemaeus Chennus apud Phot. bibl. p. 151, a. 34 bk. Ita etiam labores, quos incohauit Hercules, a Theseo ad finem perducti sunt. Demandauerat enim Eurystheus Herculi, ut bouem, qui Minoi dono datus a Neptuno Pasiphaes nefarios amores incendisset, Mycenas portaret. Bouem ab Hercule domitum et eo transportatum Eurystheus Iunoni sacrificat. Atticam autem fabulam c. 14. si audimus, bos per totam Pelopis insulam currens ad extremum consequitur Marathonium agrum, quem omni modo deuastat, donec Theseus domitum Athenas portat et Apollini Delphinio inmolat. Nonne apertissimum studium apparet Herculis res gestas Theseo mandandi? Atque in hac ipsa fabula alia cum Herculis factis similitudo iamdudum intellecta est ab Heynio (ad Apollod. II, 5, 12) et Naekio (Rh. M. 1835 p. 531 sq., Opusc. II, 118 sq.). Antequam Hercules leonem Nemeum domuit, a Molorcho hospitio exceptus est; simili-

ter Theseus ante certamen cum tauro Marathonio commissum ab Hecale in domum inuitatus est (c. 14). Eodem modo Hercules Theseo uiam praeit bello contra Amazones suscepto. Rursus Atticorum studium ambos coniungendi cognoscimus; narrauit enim Philochorus, Theseum una cum Hercule ad Pontum Euxinum nauigasse et praemium uictoriae cepisse Antiopam, cum Pherecydes Hellanicus Herodorus Bion Menecrates (c. 26) postea propria expeditione contra Amazones eum profectum esse traderent. Ac Clidemus, non Antiopam uerum Hippolytam ab eo captam esse auctor est; cum autem Eurystheus Herculem zonam Amazonis Hippolytae in usum Admetae filiae suae ad se adferre iusserit, rursus Theseum uidemus Herculis iura sibi adrogantem. Etiam hac in re Theseus similitudinem habet cum Hercule, quod eodem modo quo hic omnibus auxilium ferre paratus perhibebatur, unde illud prouerbium natum est *οὐκ ἄνευ Θησέως* (c. 24). Sic Argonautarum expeditionis particeps fuisse ferebatur unaque cum aliis uiris fortissimis uenationi Calydoniae interfuisse, Adrasto quoque opem tulisse aduersus Thebanos, quamquam Herodorum haec omnia repudiasse et Theseum unius pugnae in Centauros participem statuisse supra uidimus. (cf. c. 29.) His igitur exemplis satis comprobatur, haud pauca, quae inde ex eo tempore quo scriptores Heracleidum Herculis fabulas continuis carminibus incluserunt, per totam Graeciam Herculis propria facta essent, ab Atthidum inprimis compositoribus paululum inmutata de industria ad Theseum esse translata.

Maxime uero Hercules ex Atticorum fabulis de Theseo ob eam rem meritus erat, quia cum Cerberum petiturus ad inferos descendisset ibique Theseum Pirithoumque ob conatum in Proserpinam factum captos uinctosque deprehendisset, illum Plutonis permissu liberauerat. [1]) Quamobrem

---

1) Exagitauit Hyginus Vergilium, qui cum antea in Aeneide (VI, 123) Theseum rediisse indicasset, (Quid Thesea magnum | Quid

Theseum reducem factum in Atticam grato animo eos agros (*τεμένη*), qui antea singulis in pagis in eius honorem secreti *Θησεῖα* appellati erant, omnes exceptis quatuor, quos sibi retinuit, Herculi dedicauisse et *Ἡράκλεια* appellauisse. Haec tradit Philochor. ap. Plut. c. 35.[1]) Paullo aliter res in Euripidis fabula Hercul. fur. uersa est. Theseus enim ex Orco ab Hercule liberatus Thebas uenit, ubi Hercules modo insania captus Megaram uxorem filiosque occiderat. Consolatur igitur infelicissimum amicum, qui rursus sana mente sibi ipse mala precatur, inuitatque, ut Athenas ueniat,[2]) ubi caedis illius scelere eum expiet agroque et aede donet; simul ei promittit mortuo in Attica cultum diuinum institutum iri, id quod Hercules adprobat. Theseus autem haec ait:

πανταχοῦ δέ μοι χθονὸς
τεμένη δεδάσται· ταῦτ' ἐπωνομασμένα
σέθεν τὸ λοιπὸν ἐκ βροτῶν κεκλήσεται
ζῶντος· θανόντος δ' εὖτ' ἂν εἰς Ἅιδου μόλῃς
θυσίαισι λαΐνοισί τ' ἐξογκώμασι
τίμιον ἀνάξει πᾶς Ἀθηναίων πόλις.

---

memorem Alciden?) postea secutus mythographos quosdam (Diod. IV, 63. *ἔνιοι δὲ τῶν μυθογράφων φασὶν ἀμφοτέρους μὴ τυχεῖν τοῦ νόστου*) dixit: sedet aeternumque sedebit Infelix Theseus, narrante A. Gell. N. A. 10, 16, 11—13).

1) Cf. Aelian. u. h. IV, 5. *Ἡρακλῆς εἰς τοὺς Μολοττοὺς ἀφικόμενος ἐρρύσατο τὸν Θησέα καὶ διὰ ταῦτα ἐκεῖνος αὐτῷ βωμὸν ἀνέστησε.* Aristides in Hercul. I. p. 58 Ddf. *καὶ οὕτω τοῦ κρείττονος ἐκρίθη τὸ ἐκείνου πρᾶγμα, ὥστε καὶ ὅσα Θησεῖα ἦν κατὰ τοὺς δήμους ἅπαντα μετεσκεύασαν καὶ κατέστησαν Ἡράκλεια ἀντὶ Θησείων·* (Athenienses intellege, postquam Hercules e uita egressus est).

2) Cf. Aristid. Symmach. I. p. 723 Ddf. *τί γὰρ ἐνδοξότερον τῆς Ἡρακλέους καὶ Θησέως ἑταιρίας, ἢ τί μᾶλλον τοῖς Ἕλλησιν ἐν καιρῷ; οἳ σκευήν τε τὴν αὐτὴν ἐφόρησαν καὶ ταὐτὰ γνόντες ἡμέρουν τὴν γῆν· καὶ ὅτι τοίνυν Ἡρακλεῖ φίλου ἐδέησε, Θησεὺς αὐτὸν Ἀθήναζε ἀγαγὼν ἀνακτᾶται.*

Quid uero de istis agris Theseo sacris ex fabula ad Herculem translatis iudicandum est? Ac Müllerus (Dor. I, p. 442) aliquo tempore post Thesei mortem hoc factum esse putat posteaque ad eum auctorem relegatum. Goettlingius autem, qui accuratius in hanc rem inquisiuit, (Ber. d. sächs. Ges. d. W. 1854 p. 15, Ges. Abh. II, 157 sq.) cultum putat, qui antea Theseo institutus fuerit, publica auctoritate ad Herculem translatum esse eo maxime tempore, quo Theseus et Ionica factio quae eius studia sectaretur, a gubernatione reipublicae pulsi fuerint. Postea uero cum Thesei umbra Atheniensibus in pugna Marathonia opem tulisse crederetur, (cf. Plut. Thes. c. 35) memoriam eius in gratis Atheniensium animis resuscitatam esse ac tum a Cimone iussu oraculi Delphici ossa eius ex Scyro insula Athenas transportata aedemque ei exstructam. Haec ultima ut ab optimis auctoribus confirmata sunt et libenter concedo Thesei auctoritatem memoriamque aliquamdiu fuisse repressam, ita quaero: quid fuit in causa Atheniensibus, ut Ionicum heroem amouerent, Doricum in eius locum substituerent? Accedit quod ea aetate, quae iam historicos auctores habuit testes grauissimos, tanta translatio facta esse dicitur, quanta, ut fieri solet in omni re ad religionem pertinenti, non sine acerrima hominum repugnantia fieri potuisset, si omnino etiam hac aetate fieri potuit. Et si Theseo omnia sacra detrahuntur, quae, quaeso, causa fuit, ut quatuor sacra[1]) ei manserint? Probabilis ad haec responsio uix dari potuerit. Mihi prorsus secus uidetur. Hanc sacrorum translatorum

---

1) Enumerat L. Ross, das Theseion u. d. T. d. Ares p. 21. n. 65 primum Theseum in Piraeo (C. I. n. 103. *τὸ Θησεῖον καὶ τἄλλα τεμένη ἅπαντα*), alterum in muro illo longo (*Μακρὸν τεῖχος*), Andoc. de myster. 45. tertium in colle Colonaeo Paus. I, 30, 4. dubitat recte de quarto (Paus. I, 18, 4 *τοῦ ἱεροῦ τοῦ Σαράπιδος οὐ πόρρω χωρίον ἐστὶν ἔνθα Πειρίθουν καὶ Θησέα συνθεμένους ἐς Λακεδαίμονα καὶ ὕστερον ἐς Θεσπρωτοὺς σταλῆναι λέγουσι*). Non recte his addidit quartum Heydemann., Analecta Thesea p. 8. Theseum urbanum.

fabulam inde puto repetendam esse, quod Attici scriptores explicare studebant, qui factum esset, ut Dorico heroi tot heroa templaue dedicata essent per Atticam, Ionico Theseo quatuor tantum. Facillime animum induxerunt, ut liberalitati magnoque Attici herois animo id deberi narrarent. Nihil igitur nisi urbanitas fuit Thesei, qui sacra sibi dedicata nulla sui ipsius ratione habita ad hospitem transtulit. Res igitur prorsus inuertenda est. Herculi per totam Atticam sparsa sacra exstabant, Theseo quatuor tantum, quippe cuius memoria per longum tempus obliterata Cimonis demum aetate reuiuisceret, qui quatuor istis templum Thesei urbanum addidit. Iam uero poetae et Atthidum scriptores necessitate quasi in uirtutem uersa fabulam illam de Thesei erga Herculem liberalitate uenditauerunt, praeclaramque rhetoribus obtulerunt materiam, generosam Atticorum in Dorienses uirtutem laudibus extollendi. Non minus igitur haec fabula ex antiquissimis Herculis sacris, quae sua aetate per Atticam dispersa inuenerunt scriptores, repetenda est, quam ex cultu Dioscurorum in septentrionali Atticae parte fabulas de Helena rapta ortas esse Mueller. probabiliter coniecit (Dor. I, 442). Atque ut poetae facillimo uaticinandi modo ea, quae postea euenerunt, in fabulis quasi euentura praedicere amabant, sic Theseus amico suo futurum in Attica cultum praecinit.[1])

Iam breuiter fabulas de Heraclidarum in Peloponnesum reditu uideamus, de quibus rectissime C. O. Muellerum (Dor. I, p. 47 sq.) iudicasse puto. Scilicet ut Heraclidae cum aliqua iusti specie peninsulam recuperasse dici possent, fabula ficta est de Hercule Peloponnesi quondam rege, in cuius iura filii succederent. Haud absone u. d. comparat Canaanitas illos, qui Canaanis finibus acerrimo bello subiectis

1) Postquam ipse ad hanc sententiam perueni, uidi etiam Stephanium p. 13 improbata Muelleri opinione non multum aliter de hac re statuere.

recuperarent Abrahamis sepulcrum. Inprimis autem tragici Attici has fabulas patriae scilicet in gloriam excoluerunt. Procul dubio Herculis in Attica fana in causa fuerunt, ut hae fabulae fingerentur, quae est sententia Muelleri p. 57. quid enim facilius erat Atticis quam putare, cum heroem Doricum colerent, se etiam de posteris eius bene meruisse. Patre igitur mortuo Heraclidae, ut Apollodorus maximis in rebus tragicos secutus narrat, ad Ceycem deuersantur, unde Eurysthei minis pelluntur. Inde Ceycis suasu in Atticam se conuertunt; hic aut Theseus ipse regnat, qui magnopere gaudet se multa illa Herculis in ipsum et patriam merita erga filios compensare posse, aut filius eius Demophon. Cum profugi isti ad misericordiae aram consedissent, rex domicilia eis in tetrapoli praebuit; tum, cum Eurystheus una cum Argiuo exercitu contra eos profectus sit, coniuncti cum Atheniensibus Hyllo duce et Iolao, qui ad hanc pugnam licet senex nouas sumpsit uires, in uia Scironia contra Argiuos pugnam committunt. Victoria Atheniensium maxime posita fuit in sacrificio uoluntario Macariae Herculis filiae pro patria suscepto. Eurystheus ipse capitur et ab Alcumena foedissime deturpatus trucidatur. Praecipue haec in Atticorum tragicorum fabulis ab Aeschylo in Heraclidis, in Iolao a Sophocle satis similiter tractata fuisse uidentur, atque in Euripidis Heraclidis; reliquas de Heraclidis fabulas enarrare non iam adtinet. Narrationes tamen Atticorum quam maxime discrepasse a ceteris Graecis, documento est Pindari locus (Pyth. IX, 129), ubi Iolaus non Athenis sed Thebis apparet, Eurystheus ab exercitu Thebano superatur in confiniis Thebarum.

Iam adtendendum est ad fabulam de Macariae morte, quae Herculis filia perhibetur. Prope Marathonem fons erat, cui hoc nomen erat. Iam Gurlitt. l. d. p. 20 fabulam istam sic explicari uolt, »ut uirgo ipsa se in aetatis flore morti tradens fontem denotet breuem post cursum ex oculis euanescentem.« Secutus autem commentationem Olshauseni

Museo Rhenano uol. VIII, p. 328 sq. insertam nomen Phoenicium habet p. 40 indeque apparere putat uestigia inmigrationis Phoenicum in tetrapolim factae. Sed non ita certum exploratumque est, omnia nomina, in quibus *μακαρ* forma exstet, cum Tyrio deo Mellkarth cohaerere; saltem difficile est ad intellegendum, quomodo Phoenices in Arcadiam uenerint, ubi oppidum Macaria seu Macarea extitit teste Paus. VIII, 3, 3. 27, 4. 36, 9. Omnino autem in tota hac quaestione, quae admodum lubrica est, quam maxima opus est cautione.[1]) Huic quidem fabulae, quam Duridi Samio debemus, Macariam in Oeta patris rogum incendisse, ex quo tempore eundem morem apud Macedones in usu fuisse, non multum tribuerim (cf. Platon. schol. in Hippiam Maiorem ed. Bait. p. 963 M. FHG. II, 486, fr. 72); recte de eius fide dubitare uidetur Eckertz., de Duride Samio p. 13, contra Hullemannum, Duridis fragm., qui p. 184 fabulam tractat, disputans. Haud pauca enim Duridem finxisse apertum est; itaque in ea re, quae ab eo sola traditur, iusta est suspitio. Gurlitt. p. 49, n. 7 ex hac narratione conclusit, Duridem de aliqua inter Trachina et Macariam coniunctione audiisse. Sed quoquo modo hac de fabula iudicabimus, id ante omnia tenendum uidetur, Macariam filiam dici Herculis et Deianirae ab Oeneo Aetolorum rege prognatae, qua re uerisimile fit, inde potius fabulam de Macaria in Atticam uenisse, non a Phoenicibus. Omnino autem Dorienses uere in tetrapoli habitasse docet id quod bello Peloponnesio Lacedaemonii tetrapoli uastanda abstinebant, quia maiores eorum ibi habi-

---

1) Oleum et operam mihi perdidisse uidetur Gurlitt., qui p. 33 sq. nomen Marathonis Phoenicium esse demonstrare conatus est, quod significet »palus cuius aqua salsum saporem habet«; ipse autem fere duodecim loca enumerat Atticae, a plantis nominata cf. Et. M. s. u. *Ἐλεεῖς — οἱ γὰρ δῆμοι τῶν Ἀθηναίων ἢ ἀπὸ τόπων ἢ ἀπὸ τῶν παρακειμένων αὐτοῖς ἢ ἀπὸ τῶν ἐν αὐτοῖς φυτῶν ἢ ἀπὸ τῶν ἐν αὐτοῖς χειροτεχνῶν ἢ ἀπὸ τῶν οἰκησάντων ἀνδρῶν ἢ γυναικῶν.* Quidni etiam Marathon pagus a *μαράθῳ* feniculo dictus esse potuerit?

tassent, cf. Diod. XII, 45 et Schol. Oed. Col. u. 701, id quod non fecissent, nisi perbene ibi homines stirpis Doriensis etiam tum temporis habitare sciuissent. Atticis autem duo officia inter se maxime contraria iniuncta erant, primum ut ostenderent, quantam erga Lacedaemonios pristinis temporibus exhibuissent magnanimitatem, tum ut gloriam suam, se solos Graecorum ab inmigratione alienarum nationum liberos et in ipsa terra natos esse uere *αὐτόχθονας*, omnibus modis seruarent. Tamen horum duorum prius maxime eorum fastui blandiebatur; neque falsum erat, quod Aristoteles Rhet. II, 22 (Bk. 94, 14) dicit *πῶς ἂν δυναίμεθα (Ἀθηναίους) ἐπαινεῖν, εἰ μὴ ἔχοιμεν τὴν ἐν Σαλαμῖνι ναυμαχίαν ἢ τὴν ἐν Μαραθῶνι μάχην ἢ τὰ ὑπὲρ Ἡρακλειδῶν πραχθέντα ἢ ἄλλο τι τῶν τοιούτων·* Amabant rhetores Athenienses inprimis ingratum Lacedaemoniorum animum acriter notare, quippe qui tantorum ciuitatis Atheniensis erga maiores suos meritorum prorsus immemores essent. Rectissime putat Muellerus, Lacedaemoniorum aliquem qui talia audiret satis miratum fuisse, qui ne uerbum quidem umquam de talibus Atheniensium meritis percepisset; tamen certum fundamentum, in quo omnes hae fabulae quasi exstructae erant, peruagata illa fuit Dorici dei ueneratio, quae in Atticam a Doriensibus qui inmigrassent translata erat.

Etiam de pago Melita paucis nobis agendum erit. Nuper E. Curtius in praefatione, quam chartis Athenarum praemisit, Melitam pagum a Phoenicibus conlocatum esse statuit [1]) indeque nomen explicari uolt. Sed hac de re certe ambigi potest; nam a *Μελίτη* urbs Thessalica *Μελιταία* mihi uix separari posse uidetur, quae nihil cum Phoenicibus commune habere potest. Accedit quod Bursian. (Pauly R. E. II², 1970) cum magna specie ueri a planta in his locis peruagata *μελισσόφυλλον* uel *μελίτεια* nomen deducit. Tum constat, ex Salamine

1) Cui adsentitur Wachsmuth. Rh. M. XXIV. p. d.

transmigrasse homines Melitam, ut Eurysacis Aiacis filii sacrum herois Salaminii in pago Melita conlocatum ostendit. Sed non uideo, quid hac re probetur de Phoenicum inmigratione; neque illud quod Hercules ex scholio ad Arist. Ranas supra adlato cum Melita nympho concubuisse dicitur, per se aliquid ad Curtii sententiam confirmandam ualet. Accedit quod res ipsa per se spectata parum habet probabilitatis. Ac B. Stark. in censura libri Curtiani recte mihi hanc sententiam inpugnasse uidetur (Heidelbg. Jahrbüch. 1869. uol. 62. Jan. heft. N. 2); primum enim si tot semiticae stirpis cateruae Atticam inuasissent, eodem modo quo Cypri et Rhodi id factum esse uideamus, etiam posteriore tempore apparere debere, quae e tali Phoenicum in Atticam aduentu necessario redundauerint in sermone moribus religione, id quod ne in una quidem re factum esse potest demonstrari. Adlegat deinde Thucydidem (I, 7) testantem antiquissimas Graecorum urbes propter metum piratarum Caricorum et Phoeniciorum (I, 8) longe a mari plerumque in editiore loco interioris terrae exstructas esse, idemque etiam de Athenarum urbe pristina asserentem (II, 15). Reicit igitur Curtii de Melita a Phoenicibus conlocata sententiam putatque uestigia Phoenicia quae Melitae appareant, a paucis Phoenicibus qui Salamine in insula et prope Heracleum consederint, in antiquas illas Atticae sedes Collyti et Melitae translata esse. Iam uero paullo accuratius fabulas illas de Melitae [1]) heroinae origine inspiciamus. Ac duae sunt sententiae, cf. Harpocration. s. u. *κεκλῆσθαι δέ φησι τὸν δῆμον Φιλόχορος ἐν γ′ ἀπὸ Μελίτης θυγατρὸς κατὰ μὲν Ἡσίοδον Μύρμηκος, κατὰ δὲ Μουσαῖον Δίου τοῦ Ἀπόλλωνος*, ex priore quae Hesiodo tribuitur Neptuniae gentis est. Myrmecem autem ad Neptuni progeniem pertinuisse docet Photius lex. p. 280, 22 *ἔστιν Ἀθήνησιν Μύρμηκος ἀτραπὸς ἐν Σκαμβωνιδῶν ἀπὸ*

---

1) Boetticher. (Philol. Suppl. uol. III. p. 408), errore puto, eam Meliam nominat.

Μύρμηκος τοῦ Μελανίππου τοῦ Κύκλωπος τοῦ Ζευξίππου. Haec nomina omnia Neptunia uidentur, Melanippus Thesei filius appellatur. Meliten autem perbene ad Neptuniam gentem quadrare inde elucet quod nomen eius inter Nereides inuenitur. cf. Apd. I, 2, 7. cf. Welcker. G. G. III, 66. Cf. complures loci, ubi Melite apparet, apud O. Iahn., Arch. Aufs. p. 139. et nomen exstat in patera Codri. Sic apud Apoll. Rh. Arg. IV, 538 Melita filia est Aegaei fluuii, qui in Phaeacum insula est, materque ex Hercule Hylli.[1]) Alterius sententiae auctor est Musaeus, Melitam filiam esse dicens Dii Apolline prognati. Sed cum teste Clidemo (Harpocr. p. 125, 21) Melanippeum Melitae fuerit, mihi sententia de nympha Neptuniae genti attribuenda magis placet. Quam si sequimur, Hercules rursus cum Theseo coniungitur. Non enim cum Sauppio, de demis urbanis p. 16, hac in re nodum quaero, quod Melanippus auus Melitae qua cum Hercules rem habuit filius Thesei dicitur; hae enim genealogiae quomodo oriantur, satis patet; fortasse Melanippus antea Neptuni, postea Thesei filius perhibebatur, cum Theseus a Neptuno ipso originem duxisse crederetur. Utut autem hac de re iudicauerimus, tantum puto patefactum esse, nos hic in puris Graecorum fabulis uersari, quae nihil habeant Phoenicii admixtum.

Denique Attici scriptores fabulabantur, etiam mysteriis initiatum esse Herculem, ad quam quidem quaestionem etiam uasa aliquot picta adhibenda esse [2]) haud ignoro. Sed cum

1) Cf. numi Corcyraei, de quibus agit Cauedoni (Bull.d. J. 1850. N. 1. p. 13 s. cf. schol. Ap. Rh. Arg. IV, 1125. 1149).

2) a) Panofka cab. Pourt. pl. 16. 17 (uase Pourtalès), Müller-Wieseler, II, 10, 112. Welcker Arch. Ztg. 1843. p. 182. Elite Ceramogr. III. p. 130 ss. b) Gerh. A. V. I. t. 69, quod Prellero ad Herculem initiatum referendum uidetur. c) Stephani, Compte rendu 1859. (Jacchosvase aus Kertsch) pl. 1. 2. p. 32 ss. Cf. Omnino saepius de hac re disserens Gerhard., Akad. Abh. II. p. 178, 211, 184, 219, 330, 356, 373, 420.

non is sim, qui post Welckeri Stephanii Gerhardii doctas hac de re disquisitiones ipse lucis aliquid ad hanc rem ex artibus inlustrandam adferre possim, uenia mihi petenda est, si haec uasa picta missa fecero et locos tantum ueterum hac de re seruatos conligam, non quo noui aliquid me posse proferre sperem, sed ne quid hoc loco desiderari uideatur. Testimonia autem ueterum haud leuiter inter se discrepant. Alii enim simpliciter mysteria eum spectasse perhibebant, cum antea propterea, quod peregrinis initiari non liceret, a Pylio quodam adoptatus esset; simul a caede aliqua, plerumque Centaurorum, expiatum esse Herculem. Sic Plutarchus (Thes. c. 30) haec habet: *καὶ τὴν μύησιν Ἡρακλεῖ γενέσθαι Θησέως σπουδάσαντος καὶ τὸν πρὸ τῆς μυήσεως καθαρμὸν ὡς δεομένῳ διά τινας πράξεις ἀβουλήτους*, in qua quidem re difficile est Thesei operam agnoscere, utpote qui tum certe temporis in inferis uinctus cogitandus sit, et ib. 33. *οὐδὲν γὰρ ἠξίωσαν* (*Τυνδαρίδαι*) *-ἀλλ' ἢ μυηθῆναι, μηδὲν ἧττον Ἡρακλέους τῇ πόλει προσήκοντες. Καὶ τοῦτο οὖν ὑπῆρξεν αὐτοῖς Ἀφίδνου ποιησαμένου παῖδας ὡς Πύλιος Ἡρακλέα.* Atque apud Euripidem (Herc. fur. 617) Hercules, cum ex eo quaesitum esset, utrum pugnane an deae beneficio Cerberum eduxisset, se pugna eum domuisse dicit additque:

τὰ μυστῶν δ' ὄργι' ηὐτύχησ' ἰδών.

Apud Xenophontem (H. Gr. VI, 3, 6) Callias Atheniensis, qui ipse daduchi munere fungitur, oratione ad Lacedaemonios habita haec ait: *δίκαιον μὲν οὖν ἦν μηδὲ ὅπλα ἐπιφέρειν ἀλλήλοις ἡμᾶς, ἐπεὶ λέγεται μὲν Τριπτόλεμος ὁ ἡμετερος πρόγονος τὰ Δήμητρος καὶ Κόρης ἄρρητα ἱερὰ πρώτοις ξένοις δεῖξαι Ἡρακλεῖ τε τῷ ὑμετέρῳ ἀρχηγέτῃ καὶ Διοσκόροιν τοῖν ὑμετέροιν πολίταιν.* Nimium erat quod antea legebatur *ἡμετέρῳ ἀρχηγέτῃ*, quod Welcker. G. G. II, 718 explicare studuit. Tum in Axiocho p. 371 D legimus, *καὶ τοὺς περὶ Ἡρακλέα τε καὶ Διόνυσον κατιόντας εἰς Ἅιδου πρότερον λόγος ἐνθάδε μυηθῆναι καὶ τὸ θάρσος τῆς ἐκεῖσε πο-*

ρείας παρὰ τῆς Ἐλευσινίας ἐναύσασθαι. Paullo explicatius rem tradit Apollod. II, 5, 12. Herculem cum Eurystheus ei demandasset, ut Cerberum ex inferis abduceret, uenisse Eleusinem ad Eumolpum, sed cum non liceret peregrinis mysteria adire, antea a Pylio adoptatum esse, tum uero mysteria eum spectare non potuisse, quippe qui nondum Centaurorum caedis lustratus esset. Ab Eumolpo igitur expiatum, fuisse eum initiatum et ad Taenarum in Orcum penetrasse, ubi corrupta sunt uerba quae leguntur, *ἐπειδήπερ θετὸς Πυλίου παῖς γενόμενος ἐμυεῖτο, μὴ δυνάμενος δὲ ἰδεῖν τὰ μυστήρια — τότε ἐμυήθη* [1]). In his igitur locis disertis uerbis nihil de paruis mysteriis Herculis gratia institutis dicitur. Hoc habemus in schol. Ar. Plut. u. 845 [2]).

---

1) Similiter tradit schol. Il. Θ 366. *μέλλων οὖν ἐπὶ τοῦτον ἀπιέναι ἦλθε πρὸς Εὔμολπον εἰς Ἐλευσῖνα βουλόμενος μυηθῆναι· ἦν δὲ οὐκ ἐξὸν ξένοις τότε μυεῖσθαι, δι' ὃ γίνεται Πυλίου θετὸς υἱὸς καὶ παραγινόμενος ἐμυεῖτο.* Adfert deinde Hemsterhusius ad Aristoph. Plut. 1014. epp. Socrat. 28: *Ἡρακλῆς γάρ, ὄντος νόμου τὸ παλαιὸν ἡμῖν μηδένα ξένον μυεῖσθαι, βουληθεὶς μυεῖσθαι γίνεται Πυλίου θετὸς υἱός,* et Soranum in uita Hippocratis 2. *δεύτερον αὐτὸν ἀφ' Ἡρακλέους δημοσίᾳ τοῖς Ἐλευσινίοις ἐμύησαν καὶ πολίτην ἔγραψαν.*

2) *Μεγάλα καὶ μικρὰ μυστήρια ἐτελοῦντο ἐν Ἐλευσῖνι τῆς Ἀττικῆς, μὴ ὄντων δὲ πρότερον μικρῶν ἐλθόντος Ἡρακλέους καὶ θέλοντος μυηθῆναι, ἐκειδὴ νόμος ἦν Ἀθηναίοις μηδένα ξένον μυεῖν, αἰδεσθέντες τὴν αὐτοῦ ἀρετὴν καὶ ὅτι φίλος τε ἦν τῆς πόλεως καὶ υἱὸς τοῦ Διὸς ἐποίησαν μικρὰ μυστήρια, οἷς αὐτὸν ἐμύησαν.* et ib. 1013. *Ἔστι καὶ μικρὰ μυστήρια γενόμενα δι' Ἡρακλέα. Ἡρακλῆς γὰρ ἐπιστὰς ἠξίου μυεῖσθαι, ἔθος δὲ ἦν τοῖς Ἀθηναίοις ξένον μὴ μυεῖν· μὴ βουλόμενοι οὖν λῦσαι τὸ ἔθος μηδὲ ἀπῶσαι τὸν εὐεργέτην ἐπενόησαν μικρὰ μυστήρια εὐμετάδοτα.* Sic Tzetzes ad Lycophr. 1327 *Μύστῃ τῷ Ἡρακλεῖ· διότι ἐμυήθη ἐν Ἐλευσῖνι τὰ δι' αὐτὸν λεγόμενα μικρά. Εὔμολπος γὰρ οὐχ ὁ Θρᾷξ κατὰ Ἴστρον ἀλλ' ὁ θεὶς τὰ μυστήρια ἐκέλευσε ξένους μὴ μυεῖσθαι. Ἐλθόντος δὲ τοῦ Ἡρακλέους ἐν Ἐλευσῖνι καὶ θέλοντος μυεῖσθαι, τὸν μὲν τοῦ Εὐμόλπου νόμον φυλάττοντες, θέλοντες δὲ καὶ τὸν κοινὸν εὐεργέτην Ἡρακλέα θεραπεῦσαι οἱ Ἐλευσίνιοι ἐπ' αὐτῷ τὰ μικρὰ ἐποιήσαντο μυστήρια.*

Parua autem mysteria auctore schol. Ar. Plut. u. 845 erant *ὥςπερ προκάθαρσις καὶ προάγνευσις τῶν μεγάλων*, itaque in his paruis mysteriis a caedis flagitio expiatus est, tum magnis initiatus est, ut inferorum formidines superaret. Et haec est Diodori narratio; antea Ceres Herculi, in quem omnes dei dona conferunt, parua mysteria quasi donat. IV, 14. *Δημήτηρ πρὸς τὸν καθαρμὸν τῶν Κενταύρων φόνου τὰ μικρὰ μυστήρια συνεστήσατο τὸν Ἡρακλέα τιμῶσα;* tum (IV, 25) cum Cerberum educere iussus esset, *πρὸς — τοῦτον τὸν ἆθλον ὑπολαβὼν συνοίσειν αὐτῷ παρῆλθεν εἰς Ἀθήνας καὶ μετέσχε τῶν ἐν Ἐλευσῖνι μυστηρίων.* Discrepant ab hac re alii, qui non Eleusine sed in urbe ipsa paruis mysteriis eum initiatum esse dicebant. Sic facillime fieri potuit, ut quia postea parua mysteria Agris prope urbem celebrarentur, fabula orta esset, ibi eum horum sacrorum participem fuisse [1]). Iam alius locus, ubi ad parua mysteria aditus Herculi paratus fuit, nominatur pagus Melita apud schol. Ar. Ran. u. 501, cui satis magnam fidem habendam esse supra uidimus: *Μελίτη δῆμος τῆς Ἀττικῆς, ἐν ῃ ἐμυήθη Ἡρακλῆς τὰ μικρὰ μυστήρια.* Inde Boetticher. (Philol. suppl. uol. III, p. 409) et Wachsmuth. (Rh. M. XXIII, p. 49) suo iure concluserunt, exstitisse sacrum quoddam ad mysteria pertinens in hoc pago, ille *Φερεφάττιον* in hanc regionem relegat, hic templum Cereris prope a porta Piraica situm. Atque hoc mihi hac ex fabula clarum uidetur, Herculem Melitensem iam antiquissimo tempore una cum mysteriorum deis coniunctum fuisse, indeque fabulam ortam, eius in gratiam parua mysteria condita esse. Non tamen ausim cum Boettichero concludere, parua mysteria diu ante Herculem exstitisse [2]), cum satis periculosum sit, in eiusmodi fabulis tem-

1) Steph. Byz. *Ἄγρα καὶ Ἄγραι χωρίον πρὸ τῆς πόλεως ἐν ᾧ τὰ μικρὰ μυστήρια ἐπιτελεῖται μίμημα τῶν περὶ τὸν Διόνυσον· ἐν ᾧ λέγεται καὶ τὸν Ἡρακλῆ μεμυῆσθαι* cf. Bekk. Anecd. p. 326.

2) Primo adspectu succurrit ad tempus expiationis definiendum testimonium marmoris Parii (epocha 16), sed Boeckhii restitu-

porum rationes constituere uelle. Imo, acquiesco in Welckeri sententia, qui ingeniose coniecit, parua mysteria condita fuisse in urbe Athenarum, cum Athenienses, bello cum Eleusiniis commisso, mysteriorum cultum non ut cupiebant Athenas transferre possent propter Eleusiniorum pertinaciam summamque illius cultus celebritatem et hanc ob rem pace cum istis facta compensationem illius iacturae sibi parare uellent. cf. Apoll. III, 15, 4. Paus. I, 38, 2. Welcker. G. G. II, 544, 546.

Etiam id, quod praeter Herculem Dioscuri tali honore digni habiti sunt, docet, causam harum fabularum ex cultu diuino, qui his in Attica institutus fuerit, repetendam esse. cf. Arist. Eleus. p. 417 Ddf. *μυηθῆναι — ξένων πρώτους Ἡρακλέα καὶ Διοσκούρους* et schol. Plut. u. 845 [1]). Mirum autem non est, Athenienses rhetores summo cum gaudio etiam hanc materiam arripuisse, ut maiorum magnanimitatem praedicarent [2]).

---

tionem ferri non posse demonstrauit C. Müller., FH G. I. p. 565 quamquam id quod ipse proponit forsitan non minus audacter coniectum sit.

1) Etiam Aesculapium ad haec sacra admissum esse docet epigramma C. I. n. 434, statuae hierophantidi dedicatae, qui Hadrianum initiauit, inscriptum. Cf. Lenormant., Rech. arch. à El. p. 175 sq.

οὐκ ἐμύησα δ' ἐγὼ Λακεδαιμονίης τέκνα Λήδης
οὐδὲ τὸν εὑράμενον πανσινόσους ἀκέσεις.
οὐδὲ τὸν Εὐρυσθῆα δυώδεκα πάντας ἀέθλους
ἐξανύσαντα μόγῳ καρτερὸν Ἡρακλέα.

2) Cf. Or. in Herculem. Arist. I. p. 58. Ddf. *ἔτι δ' αὐτῇ* (Athenas dicit) *καὶ φιλίας συμβόλαια πρὸς Ἡρακλέα πάμπολλα ὑπῆρχεν ἄλλα τε καὶ ὅτι πρῶτον ξένον ἐμύησεν ἕως ἦν ἐν ἀνθρώποις* et Leuctric. I. p. 639 *οἷον Ἡρακλεῖ μυστηρίων μετάδοσις πρώτῳ ξένων* et Panathen. p. 173 *Ἡρακλέους ἀπελθόντος ἐξ ἀνθρώπων ἡ μὲν πόλις καὶ νεὼς καὶ βωμοὺς ἱδρύεται πρώτη καθάπερ καὶ πρόσθεν τοῖς μυστηρίοις ἐτίμησε πρῶτον ξένων.*

III.

Iam paucis uideamus, quid huius cultus proprium fuisse uideatur. Atque inprimis id tenendum est, gloriatos esse Athenienses, se primos Herculi diuinos honores habuisse. cf. Paus. I, 32, 4. *σέβονται — οἱ Μαραθώνιοι — Ἡρακλέα, φάμενοι πρώτοις Ἑλλήνων σφίσιν Ἡρακλέα θεὸν νομισθῆναι*, et quod Pausanias de Marathoniis, Diodorus in uniuersum de Atheniensibus adfirmat. [1]) Atque Aelius Aristides Apollini iussu ait Herculem diuinis honoribus affectum esse. Eundem Athenis proprie *τὸν θεόν* appellatum fuisse ostendit Leutsch. Phil. Suppl. uol. I, 131. n. 299. Ac iam antiquo tempore dubitasse Graecos utrum Herculi diuinos an heroicos honores tribuere deberent, docet insignis Herodoti locus (II, 44), qui qua est anxia religiositate ne numen Herculis aliqua ex parte laedatur, utroque modo sacra ei institui iubet[3]). Atque ita Herculem duplici modo cultum fuisse Sicyone accepimus cf. Curtius Pelop. II, 4, 94, 585, qui deum a Phoenicibus eo translatum esse statuit. Ac rectissime Welcker. G. G. II, 167 ex loco Diodori

---

1) IV, 39. *τὸ παραπλήσιον δὲ ποιησάντων καὶ τῶν Θηβαίων* (scil. Herculem ut heroem colebant), *Ἀθηναῖοι πρῶτοι τῶν ἄλλων ὡς θεὸν ἐτίμησαν θυσίαις τὸν Ἡρακλέα καὶ τοῖς ἄλλοις ἀνθρώποις παράδειγμα τὴν ἑαυτῶν εἰς τὸν θεὸν εὐσέβειαν ἀποδείξαντες προετρέψαντο τὸ μὲν πρῶτον ἅπαντας Ἕλληνας, μετὰ δὲ ταῦτα καὶ τοὺς κατὰ τὴν οἰκουμένην ἀνθρώπους ἅπαντας ὡς θεὸν τιμᾶν τὸν Ἡρακλέα.*

2) Or. in Hercul. Dind. I. p. 58. *ἐπειδὴ — ἀπῆλθεν ἐξ ἀνθρώπων Ἡρακλῆς —, εὐθὺς ἐξηγεῖτο* (sc. *ὁ θεὸς*) *νεώς τε Ἡρακλέους ἱδρύεσθαι καὶ θύειν ὡς θεῷ. καὶ ταῦτα μέντοι πρὸς τὴν τῶν Ἀθηναίων φράζων πόλιν, ἣ καὶ πρεσβυτάτη τῶν Ἑλληνίδων καὶ τῆς εἰς τοὺς θεοὺς εὐσεβείας καὶ τῶν ἄλλων τῶν σπουδαιοτάτων ὥςπερ ἡγεμὼν τοῖς ἅπασιν ὑπῆρχεν·* cf. Leuctricus I. p. 639. *καὶ ὡς ἀπῆλθεν ἐξ ἀνθρώπων τιμαὶ παρὰ πρώτοις ἡμῖν αἱ αὐταὶ τοῖς θεοῖς.*

3) *Καὶ δοκέουσί μοι οὗτοι ὀρθότατα Ἑλλήνων ποιέειν, οἳ διξὰ Ἡράκλεια ἱδρυσάμενοι ἔκτηνται καὶ τῷ μὲν ὡς ἀθανάτῳ Ὀλυμπίῳ δὲ ἐπωνυμίην θύουσι, τῷ δ' ἑτέρῳ ὡς ἥρωι ἐναγίζουσι.*

(IV. 39), qui refert, Herculem modeste ideo honorem diuinum inter duodecim deos a Ioue ipsi oblatum recusauisse, ne aliorum quis sua causa loco pelleretur, conclusit, alicubi Herculem in numero duodecim deorum relatum fuisse debere. Puto autem, Herculem antiquissimo tempore dei instar habitum postea inprimis Apollinis causa cum quo magnam similitudinem habet, postea inter heroes relegatum fuisse, sed, cum satis multi in cultu Herculis diuino perseuerarent, huius discidii soluendi causa opinionem obtinuisse, Herculem propter ea, quod tanto opere laborasset in uita ac tanta de genere humano merita exhibuisset, inter deos esse relatum. Itaque si Attici gloriabantur, Herculem primum ab ipsis diuinis honoratum esse sacris, inde apparet, cultum quam antiquissimum fuisse.

Ad extremum, si quaerimus unde cultus eius in Atticam uenerit, Gurlitt. l. d. p. 42 ex mera Herculis dei ueneratione uestigia coloniae Phoeniciae conclusit, praepropere ut mihi uidetur. Inprimis in septentrionali Graecia antiquissimo tempore Hercules deus cultus est, in qua regione Phoenices numquam consedisse inter omnes constat. Mihi contra a Doriensium turmis sparsis et disiectis, quae inprimis in septentrionalem Atticam inmigrarent, cultus Herculis diuinus in Atticam translatus esse uidetur, et huic rei succurrit argumentum haud contemnendum. Inter tribuum enim nomina inuenimus Antiochidem, nominatam ab Herculis ex Meda filio Antiocho.[1] Notum autem est Herculem Dryopum gentem, cuius rex erat Phylas Medae pater, inpugnasse[2] et sedibus propulsasse; tum cum Meda regis filia concubuisse, unde Antiochum prognatum esse. Dry-

1) De Antiocho cf. Paus. I, 5, 2. II, 4, 3. X, 10, 1. Secundo loco Heraclidas Corinthum duxisse dicitur. Nepos eius Hippotes ὁ Φύλαντος τοῦ Ἀντιόχου τοῦ Ἡρακλέους ob uatem interemtum Naupactoum iussu oraculi Delphici in exsilium pellitur. Apd. II, 8, 3.

2) Diod. IV, 37.

opibus autem domicilia in Argolide praebet (Müller. Dor. I, p. 43), ad quae nauibus uectos esse Muellerus probauit. Hos Styram quoque et Carystum in Euboea insula condidisse ferunt (ib. p. 44); horum igitur turmas naui in Atticam uenisse mixtas Heraclidis (Hercules enim dux eis fuisse perhibetur) putauerim; alias autem Heraclidarum cateruas ex Boeotia Atticam inuasisse ibique consedisse.

Hermannus Dettmer de uita sua.

Natus sum Lubecae a. d. XII Cal. Aug. a. h. s. XLVI, patre Carolo Henrico gymnasii professore, matre Carolina de gente Reuterana, quos adhuc superstites mihi esse uehementer gaudeo. Fidei addictus sum euangelicae. Sextum annum agens gymnasium urbis adii, quod nunc Breiero rectore floret, ubi praeter hunc uirum in me humanissimum patremque praestantissimorum praeceptorum disciplina usus sum, e quibus nominare liceat Baumeisterum Mantelsium Prienium. Verno tempore anni LXV Gottingam me contuli, ubi per ter sex menses philologicis aliqua ex parte etiam theologicis studiis operam dedi. Docuerunt me per hoc tempus Curtius, Helferich, Leutsch, W. Mueller, Ritter, Sauppe, Schoeberlein, Waitz, Wieseler, Wiesinger. Ad hoc statim proseminarii sodalis initio, tum ordinarius seminarii sodalis factus sum, praeterea interfui Wiesingeri exercitationibus theologicis philologorum in usum habitis. Tum ualetudinis afflictae corroborandae causa Meranum in amoenissimum exsilium pulsus sum, ubi per hiemis tempus degi. Nouis inde uiribus sumtis Bonnam migraui, ubi per quinquiens sex menses prodocentes audiui hos uu. dd.: Bernaysium, Adolfum Heldium, Herwigium, Hillerum, Ottonem Iahnium, Renardum Kekuléium, Nissenum, Springerum, Simrockium, Sybelium, Varrentrappium, Vsenerum. Singulari autem Iahnii et Vseneri beneuolentiae debeo, quod in seminarium philologicum receptus sum, cuius per ter sex menses sodalis fui ordinarius. Non minus Iahnius benignissime permisit, ut archaeologico seminario per annum interessem. Praeterea Bernaysii beneuolentia factum est, ut eius exercitationibus Aristoteleis, Hilleri, ut Pindaricis, Kekuléi ut archaeologicis, Nisseni ut epigraphicis, Springeri denique, ut societati eius, in qua artes explicandas proposuit, interessem. His uiris omnibus de me optime meritis ex animi sententia gratias ago, maximas uero cum Gottingensibus Curtio et Sauppio tum Bonnensibus Ottoni Iahnio et Hermanno Vsenero, quorum memoria mihi numquam non erit gratissima.

Sententiae controuersae.

1. Hymn. hom. in Cerer. u. 64 propono ut sic legatur:
   Ἠέλι' αἴδεσσαι μ η τ ρ ό ς μ' ὕ π ε ρ εἴ ποτε δή σευ — ἴηνα.
   (Mosc. *με θέας ὕπερ.*)
2. Xen. h. Gr. I, 1, 6 *ἐπεισβαίνων* (Pharnabazus) *τῷ ἵππῳ εἰς τὴν θάλατταν μέχρι δυνατὸν ἦν ἐμάχετο* uocula *οὗ* post *μέχρι* inserenda est.
3. Cic. Parad. prooem. 2. sic scribendum est: minutis interrogatiunculis quasi p u n c t i m (ll. punctis) quod proposuit efficit.
4. (Ar.) Mirab. auscult. 41. ex Theophrast. de lapid. 24. sic corrigendum est *φασὶ τὸν ἐν τῇ Θράκῃ λίθον — σπίνον — συντεθέντα πρὸς ἑαυτὸν ὥςπερ τὴν σμαρίλην οὕτως κἀκεῖνον εἰς ἥλιον* (ll. *ἑαυτὸν*) *τεθέντα — καίεσθαι.*
5. Glossam Hes. *Ἥραιον Ἡρακλῆ,* quam M. Schmidt mutauit in *Ἥρωα τὸν Ἡρακλῆ* ita retineo, ut uocem *Ἥραιον* aliam formam antiquiorem nominis *Ἡρακλῆς* habeam.
6. Alexander Epirota, qui Liuio auctore VIII, 3. 24. ab anno 341—327 in Italia degisse putatur, ibi tres tantum annos commoratus est ab anno 333—331. Liuii error ex Olympiadum permutatione repetendus est; Ol. CXI, 4 (333) mutabatur cum Ol. CIX, 4 (341) ut Ol. CXII, 2 (331) cum Ol. CXIII, 2 (327).
7. In uase, quod editum est Mon. d. J. II, 10, b. Ouerb. H. G. XXII, 9) non Thetis sed Aurora repraesentata est uitam filii a Ioue deprecans.
8. In gymnasiis a discipulis superiorum ordinum Graeci scriptores totidem horis quot Latini legendi sunt.

